




QUÆ FUERIT

ARISTOTELIS DE SENSIBUS

DOCTRINA?

QUÆ FUERIT

ARISTOTELIS DE SENSIBUS

DOCTRINA?


DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QUAM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. GRATACAP

Ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πώς ἐστι πάντα.
ARIST.; Περὶ ψυχ., l. III, c. VIII, § 1.

MONSPELII
E TYPIS BOEHM & FILS
1866


HARVARD COLLEGE
AUG 1922
LIBRARY

QUID DE SENSIBUS DOCUERIT ARISTOTELES

PROŒMIUM

AD QUOS SENSUS REFERATUR, ET QUO SPECTET QUÆSTIO PROPOSITA?

Quum sensus unicuique nostrum a natura tribuatur, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque nocitura, necesse est nos jucunde molesteve affectos multis variisque modis sentire.

Et primum, quod ad corpus attinet, si quid interius læditur, cruciatus doloris cum malo crescentis experimur, quibus moneamur de injuria quam patimur. Sic fame sitique et cujuscumque morbi incommodis laboramus, eoque acrius, quo majus in discrimen vita venit; dum contra qui integra valetudine viribusque viget, sibi bene esse sentit, tacitamque percipit vivendi voluptatem.

Sed non omne corporis malum intestinum; neque ea quæ extra sunt leviora pericula nobis faciant, nisi alios habeamus sensus, rerum propter incommoditatem fu-

giendarum vel ad usus necessarios quærendarum interpretes ac nuntios. Omnes scilicet ictus omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentit tactus; gustatus vero percipit eorum, quibus vescimur, genera; itemque narium est cibi et potionis non parvum judicium. Imo aures et oculos, tanquam speculatores adhibemus, ut quidquid nociturum aut profuturum longe lateque appareat cito dignoscamus, sicque tutum inter obstantia teneamus iter.

Jam vero non omnes in corpore tuendo debemus esse, quippe qui, ad majora nati, ingenii mentisque vim ad veri indagationem, et rectam naturam ad justitiam et ordinem in consiliis factisque conservandum acceperimus. Ideoque omnes nescio quo veri pulchrique videndi studio capti, trahimur ad infinitam cognitionis scientiæque cupiditatem. Nec minoribus illecebris ad se nos allicit et retinet quidquid decori honestive faciem præ se fert: quæ quidem facies, ut Tullio post Platonem placet, « si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sui[1].»

Sed quoniam non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem ceteri vindicant, eadem vi sensuum homines natura conciliat hominibus ad vitæ societatem, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possint; ingeneratque imprimis præcipuum quemdam amorem in eos qui pro-

[1] Cic.; *De off.*, 1, 5.

creati sunt; impellitque ut studeant parare ea, quæ suppeditent et ad cultum et ad victum; nec quisque sibi soli consulat et invigilet, sed conjugi, liberis ceterisque quos caros habeat tuerique debeat [1].

Hos omnes igitur sensus apparet nobis esse summe necessarios, neque posse aut hos, aut illos e vita tolli, quin hominis natura quasi manca et inchoata videatur. Ex his autem ii qui ad ea spectant quæ extra sunt, propriis virtutibus eminent longeque ceteros antecellunt. Non solum enim ad augendas corporis et animi vires valent, ut ceteri, sed insuper menti amplam cognoscendarum rerum materiam afferunt. Etenim quivis alius sensus nos voluptatis incitamentis invitat ad id quod delectat aut doloris morsu avertit ab eo quod displicet, nec minime docet animum quem movet: contra sensus externi plerumque tangunt leviter, nec turbant, sed præferunt claram lucem quam sequi licet et expedit. Sic quidquid tactu percipimus motu vel figura distinctum, durum aut molle, solidum aut humidum, quidquid colorum oculis, quidquid sonorum auribus exigimus, hi nimirum tam multi tamque diversi sensus innumeras nobis præbent imagines, quas cuique promptum est animadvertere, discernere inter se notatasque memoria tenere. Quin imo, quoniam ea quæ sensibus subjiciuntur, etsi alia ab aliis differunt, nonnullam tamen similitudinem habent et

[1] Cic., *De off.*, 1, 4.

quamdam retinent constantiam, facilis est conjectura rerum quæ, certis et ratis conditionibus obnoxiæ, tenorem semper eumdem servant. Quum autem physica ratio et physiologia omnis ad id unum tendat, ut perspiciat quid in quaque re consentaneum cuique, nihilque aliud sit, quam legum a natura constitutarum cognitio, inde sequitur omnem rerum naturalium scientiam ex sensibus externis oriri. Nec minus ab iisdem sensibus ipsa etiam mathematica mente abstrahimus, geometriaque nulla esse potest, quin prius notionem quamdam spatii tactus vel visus ope informatam animis habeamus.

Quæ quum ita sint, nihil mirum, quod plerique eorum qui describendis sensibus operam dedere, ceteris omissis aut leviter notatis, omni cogitatione curaque in eos incubuerint sensus, qui prima scientiarum initia inchoant: hi enim soli sunt, in quibus nitantur quæcumque de natura quæruntur, eorumque fide sublata, jam nihil certi fere superest.

Nullus tamen mihi videtur fuisse, qui quanto præstent quamque late pateant supradicti sensus melius intellexerit, quam Aristoteles, qui ingenio quidem fuit investigandæ naturæ diligentiori, quam ut vel unum cuique nostrum ingenitorum sensuum genus omnino neglexerit; idque satis testantur nonnulla quæ apud ipsum legere possis [1]. Sed in libris, quibus hanc partem maxima cura

[1] Περὶ ψυχ., II, 2, § 8; II, 3, §§ 2 et 3; III, 7, § 2. — Ἠθικῶν

comprehendit, scilicet in eo qui inscribitur *De anima*, inque aliis eamdem rem tractantibus [1], totus est in explicandis sensibus qui ad res exteras pertinent, neque alios, nisi obiter, attingit.

Verum enim id unum circa quod versatur quæstio Aristotelica, quum sit per se maximi momenti, et philosophos tum veteres, tum recentiores distraxerit in varias sententias, accuratam considerationem expostulat; nec minus ut pateat quid ipse senserit, quam ut certum fiat, quid sentiendum sit. Non enim eadem circa sensus instituisse videbitur Aristoteles ei qui ipsius scripta legerit et illi qui animum intendet solum ad commentaria quæ tam multi interpretes discipulive non satis fidi in eum composuerunt. Idque imprimis mihi injecit mentem, ut hanc nimis obscuram et perverse explicatam doctrinam in integrum restituerem, restitutamque ex recentiorum inventis judicioque meo æstimare tentarem.

Ipsum vero rerum ordinem, ab Aristotele institutum, servare magnopere refert. Is namque, naturam, tanquam optimam ducem, secutus, recte monet, ut quicumque de sentiendi facultate quærit, profectus ab iis quæ, natura quidem obscuriora, nobis tamen notiora sunt, ad

Νικομ., III, 13; VII, 7 et 8. — Ῥητορ. I, 10 et 11. — Περὶ ὕπνου. I, § 11; II, § 5. — Περὶ Ζῴων κινήσεως, VI, § 5. — Περὶ αἰσθήσ., I, § 3.

[1] V. Περὶ αἰσθήσ. — Περὶ μνήμης. — Περὶ ὕπνου. — Περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς. — Περὶ χρωμάτων. — Περὶ ἀκουστῶν.

QUÆ FUERIT

ARISTOTELIS DE SENSIBUS

DOCTRINA?

CAPUT PRIMUM

EXPLICATUR RATIO QUAM DE SENSIBUS INSTITUIT ARISTOTELES.

Principio singuli animantium, ut Aristoteli placet, vitam, qua fruuntur, animarum sibi propriarum munere tenent; utque genere differunt animæ, sic ipsi sunt inter se dissimillimi. Etenim in plantis anima nihil est, nisi quædam vis intima, qua vigente crescunt gignuntque, quaque deficiente senescunt et tabescunt; eadem vero in unoquoque animalium non modo nutrit et generat, sed etiam sentit; ultroque movetur in plerisque, atque insuper in homine intelligit[1]. Neque tamen necesse est animam quamlibet in varias partes revera abscissam fingi, quum contra una eademque vim sentiendi nutriendique et simul movendi et intelligendi habeat. Sed quemadmodum ex triangulo omnes aliæ geometricæ figuræ,

[1] Περὶ ψυχ., l. I, 1, 2.

sic ex anima nutriente ceteræ animarum formæ oriri videntur ; nam, in animantibus, tanquam in figuris, in eo quod sequitur semper continetur id quod est prius : quadrangulus scilicet triangulum, et animam nutrientem anima sentiens complectitur. Quapropter in singulis quærendum est, quænam sit cujusque anima, velut quænam sit anima plantæ, quænam bestiæ, quænam denique hominis [1].

Si quid igitur ali, sentire, sponte sua moveri vel intelligere potest, id omne efficitur ab anima. Non tamen ex animæ sola vi ulla natura veraque substantia exsistit : quælibet enim perfecta natura, uti ex anima, sic e corpore constat. Nam corpus, quum per se mera sit potentia, neque hoc neque illud dici possit, nullo quidem modo continet animam cui conjungitur ; sed ab ea formam et speciem, quam habet, accipit, sicque continetur, ut, anima pereunte, ipsum dissipetur et putrescat [2].

Idcirco recte sentiunt, ut fert opinio Aristotelica, ii quibus anima neque esse sine corpore, neque corpus aliquod esse videtur. Etenim ipsa quidem corpus non est, est autem corporis aliquid, et inest ob hoc in corpore, et in cor-

[1] « Ἀεὶ γὰρ ἐν τῷ ἐφεξῆς ὑπάρχει δυνάμει τὸ πρότερον ἐπί τε τῶν σχημάτων καὶ ἐπὶ τῶν ἐμψύχων, οἷον ἐν τετραγώνῳ μὲν τρίγωνον, ἐν αἰσθητικῷ δὲ τὸ θρεπτικόν. » Περὶ ψυχ., II, 3, 6.

[2] « Δοκεῖ γὰρ τοὐναντίον μᾶλλον ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα συνέχειν· ἐξελθούσης γοῦν διαπνεῖται καὶ σήπεται. Εἰ οὖν ἕτερόν τι μίαν αὐτὴν ποιεῖ, ἐκεῖνο μάλιστ' ἂν εἴη ψυχή.... περὶ ψυχ., I, 5, § 24.

pore tali[1]. Neque res se habet quomodo voluere veteres Pythagorici, quos non semel noster reprehendit : qui scilicet de corpore quod animam recipere debet, nihil prorsus determinant, quasi fieri possit, ut quævis anima, sine ullo discrimine, corpus quodvis subeat. At contra unumquodque propriam speciem habere formamque videtur : ut enim ars quæque suis instrumentis utitur, neque fistula faber, aut malleo musicus, sic anima corpore suo utatur oportet[2].

Jam vero, ut ad sensum, de quo solo hic agitur, veniamus, id quod dictum est de toto animante, in singulis etiam partibus respicere licet. Nam, si oculus esset animal, ejus anima visus esset; visus est namque oculi forma et quasi ratio; oculus autem est materies visus qui, quum defecit, non oculus est, nisi nomine tantum, perinde atque lapideus, vel pictus[3]. Quæ quum ita sint, sicut corpore sibi proprio cuilibet animæ, ita justa corporis parte et quasi integris instrumentis cuilibet sensui opus est : adeo ut quæ oculis aut auribus, aut naribus carent animalia, ea neque videant, neque audiant, neque odorentur. Nullum tamen reperias cui deficiant tactus aut gustus : his enim deficientibus, deficit omnis sensus, neque jam animal, sed solum planta superest[4].

[1] Περὶ ψυχ., l. II, 2, § 14.
[2] *Ibid.*, l. I, 3, § 23.
[3] *Ibid.*,, l. II, 1, § 9.
[4] *Ibid.*, l. II, 2, § 11.

Sentire autem duplici modo dicere consuevimus. Nam et eum qui audiendi videndique copiam habet, etsi forte dormit, et eum qui revera aliquid audit et videt, audire et videre una eademque voce significamus; sicque duplicem oportet distinguere sensum, sensum quidem in potentia, δυνάμει, meram scilicet sentiendi facultatem, et sensum in actu, ἐνεργείᾳ, id est, verum et reipsa existentem sensum[1].

Imo nunquam ex se ad effectum adducitur sentiendi facultas. Etenim si quid potest uri, id non ultro concipit ignem, neque accenditur, nisi flamma admota; neque aliter fit de sensu, qui seipsum non sentit, et eget re sibi subjecta, ut videat, odoretur, aliove modo percipiat[2].

Nunc vero, qua tandem ratione, secundum Aristotelicam sententiam, res extraneas sensus attingere et occupare possit? Hic maxime quidem inter se dissentiunt interpretes, dumque communem veterum philosophorum doctrinam Aristoteli tribuunt, prave judicant, nec satis subtile discrimen rerum faciunt. Mihi enim Aristoteles longe aliam, atque ceteri antiquitatis philosophi, sentiendi rationem defendisse videtur, neque in ea re difficili multum dissidere a communi recentiorum opinione, quam mira vi ingenii præsumit. Etenim quod nostræ ætatis Physici de sono, colore calidoque recte ex-

[1] Περὶ ψυχ. l. II, 5, *passim*.
[2] Περὶ ψυχ., l. II, 4, § 2.

plicant exquisitisque rationibus confirmant : nempe rem extensam, quasi quassatam, sponte sua vibrare et impellere circumfusum medium, movente autem medio cieri aures, oculos aut nervos tactus, atque inde protinus varios sensus fieri ; id ipsum noster, etsi minus apertis, at certis verbis profitetur, imo singulis utique sensibus accommodare omni ope nititur.

Et primum, juxta ipsius opinionem, id quod videri potest colorem, quo quidem solo videre possumus, in se habet. Coloris vero hoc est proprium, ut moveat pellucida corpora, quæ, per se obscura, luce tamen aliena perfundi ac splendere valent; aerem scilicet et aquam nonnullaque alia. Sicque motus, quem a colore pellucidum corpus, et a corpore pellucido oculi excipiunt, efficit visum, perinde ac si signum quod in ceram imprimitur, usque ad extremam ceram transmitteretur [1].

Neque aliter est de sono, qui non ex uno corpore, sed ex conflictu corporum in justo medio sese impellentium sequitur; neque tamen efficitur ex concursu omnium, quum nonnulla sint, ut lana et spongia, quæ nullum motum ciere, ideoque nullum sonum reddere valeant. Medium autem est aer : cujus natura, quum infinite dividatur, neque ipsa continet, neque per se facit sonitum. Nullus tamen esse potest sonitus sine aere, cujus

[1] Περὶ ψυχ., l. III; 12, § 9.

motus continuus, ab icto corpore veniens, aurem percutit, atque inde fit auditus [1].

Ita fit de odore; nam quidquid olet, etsi nobis minus notescit olfactu, qui sensus in homine hebes est et omnium pinguissimus, non solum per aerem, sed etiam per aquam sentitur, siquidem prædam fluviatica animalia vel odore vestigant [2].

Tactus vero, et gustus, qui ferme est alius tangendi modus, ad aliquid ex propinquo percipiendum, carnem et linguam, tanquam medium, adhibent. Neque tamen, quasi per aerem et aquam videmus, audimus et odoramur, ita prorsus per linguam et carnem, at potius una cum lingua et carne sentimus; perinde ac si quis trans scutum perfodiatur, non dicas ferro scutum, scutoque hominem percuti, sed percuti simul et scutum et pectus [3].

Neminem vero, nisi per quoddam ejusmodi medium, sentire posse, non solum firmissime asserit Aristoteles, sed etiam variis argumentis comprobare nititur. Notat enim, non sine causa, medium illud a re sensili paulo ante moveri, quam fieri possit ipse sensus. Qui enim in propinquo est, is prius odorem sentit; similiterque sonus post ictum ad aures pervenit : hoc autem declarant

[1] Περὶ ψυχ., l. II, 8.
[2] *Ibid.*, l. II, 9.
[3] *Ibid.*, l. II, 11, § 8.

et ipsa verba, quæ, procul expressa, obscurantur eundo, quasi vix medium transeant; non enim audire licet id quod dictum est, quia aer ipso motu deformatur[1]. Idemne fit de eo quod videtur, ut audiendus sit Empedocles, quum vult ortum a sole lumen prius ad medium, quam ad ipsum oculum aut ad terram devenire? Id quidem, quamvis nullo modo cum ratione pugnare fateatur, noster negat; contraque defendit, idque falso, totum medium, quo vibrante lumen efficitur, eodem temporis puncto moveri, quemadmodum glacie concrescit simul omnis aqua, neque, ut sonum odoremve, sic lucem gradatim ultro citroque diffundi[2].

Eam tamen esse judicat medii necessitatem, ut, medio quomodocumque detracto, nullam sensibilem rem, licet præsentem, sentiri posse contendat. Si quis, inquit, id quod colorem habet, super ipsum oculum posuerit, nihil videbit; nam, ut videatur, colore aerem, aere autem oculum moveri oportet. Ideo non vere locutus est Democritus, ut etiam Aristoteli videtur, quum existimavit, si medium spatium vacuum forte fieret, formicam, quæ vel in cœlo esset, plane videri posse. Quod fieri non potest; nam visio fieri nequit, nisi id quod sentiendi potestatem habet, aliquid patiatur; quumque nihil ab ipso colore, qui videtur, pati valeat, restat ut patiatur a medio:

[1] Περὶ αἰσθήσ., c. VI, 9.
[2] *Ibid.*, c. VI, 14.

quare necesse est, aliquod esse medium; quod si vero id vacuum sit, non modo non plane, sed nihil omnino videbitur[1]. Eadem autem et de sono et de odore dicenda sunt. Ab odore quidem et sono movetur medium; ab hoc autem utrumque sensus instrumentum; sed si forte ponatur super ipsum sensus instrumentum vel id quod sonat vel id quod olet, nullus itidem efficietur sensus. Neque aliter se res habet in tactu et gustu, etsi minus apparet[2].

Accedit illud : id quod sentiri potest minime quidem sentitur, si motus, quem medio affert, idem jam sit in medio; medium enim nullo modo potest id quod jam habet aliunde accipere. Quod quidem noster sequentibus verbis declarat : « Colorem quidem suscipere potest id quod colore, sonum autem id quod sono vacat; vacat autem colore pellucidum corpus et invisibile, vel id quod vix tandem cernitur, quale tenebricosum esse videtur[3]. »

Sed ut motum a medio allatum excipiant oculi, aures ceterique sensus, hosce oportet rursum eo motu posse cieri, nec tamen jam cieri; nimirum, si verbis et consuetudine Aristotelica uti licet, quidquid res sensibiles sunt in actu, id ipsum illæ corporis nostri partes esse debent in potentia[4].

[1] Περὶ ψυχ., l. II, 7, § 6.

[2] *Ibid.*, l. II, 7, § 8.

[3] Περὶ ψυχ., l. II, c. VII, § 4.

[4] « Τὸ ποιοῦν οἷον αὐτὸ ἐνεργείᾳ, τοιοῦτον ἐκεῖνο ποιεῖ δυνάμει ὄν. » Περὶ ψυχ., l. II, c. II, § 11.

Idem enim docet varias corporis nostri partes ex variis elementis oriri, eoque magis ad motus rerum sensibilium suscipiendos et retinendos accommodari : « Oculi quidem partem cui videndi facultas data est, ex aqua constare existimandum est ; ex aere, id quod sonos percipit ; olfactum, ex igne.... Ut enim extra non sine lumine videtur, sic et intra ; perspicuum ergo esse oculum oportet, eumdemque aquam esse necesse est, quando non est aer ; non enim anima aut animæ instrumentum in extremo oculo, sed intus, ut patet ; quamobrem necesse est, ut pars oculi interior pellucida sit et lumen admittere valeat[1]. » Non aliter fit de gustatu : « Quum id quod gustatur sit humidum, necesse est et instrumentum sensus neque humidum actu, neque tale esse ut humectari non possit ; patitur enim aliquid gustus ab eo quod gustatur quatenus gustatur... Argumento est, linguam, neque cum est valde sicca, neque quum est nimis humida, sentire ; etenim, si jam nimis humida, primum humidum sentit, perinde ac si quis, quum prægustaverit vehementem saporem, deinde alium gustet ; sicque ægrotantibus cuncta videntur amara, quia lingua sentiunt tali humiditate referta[2]. » « Instrumentum autem ad res tangendas aptum et in quo primo sensus is invenitur quem appellamus tactum, pars ea est quæ est in potentia talis,

[1] Περὶ αἰσθήσ., c. II.

[2] Περὶ ψυχ., l. II, 10, § 4.

qualis res quæ tangitur; sentire nempe pati quiddam est; quare id quod res tales efficit, quale ipsum est actu, tale illud reddit, quum antea fuerit in potentia. Quocirca æque calidum ac frigidum et durum ac molle non sentimus, sed id quod exsuperat, quia sensus est quasi modus oppositorum quæ in sensibilibus insunt : atque propter hoc sensibilia discernit; nam medium discernendi vi pollet : fit enim ad utrumque ipsorum alterutrum extremum, atque ut id quod album nigrumque percepturum est sensu, neutrum ipsorum actu, sed potentia sit utrumque oportet, sic et in ceteris itidemque in tactu neque calidum, neque frigidum [1]. »

Hi quidem loci vix notati ab interpretibus, modo recte intelligantur, multum, nisi fallor, ad præcipuam, de qua hic quæritur, rationis Aristotelicæ partem explanandam conferre valent. Sequitur enim ex allatis verbis, animam, quæ sentiendi facultatem habet a natura, reipsa sentire non posse, nisi propriis inhæreat corporis partibus, quibus utatur veluti aptis ad sentiendum instrumentis, non secus ac fidibus citharædus; in eo autem corpus humanum a fidibus differre, quod chordas fidium ipse citharædus, non vero corporis nervos anima impellat : corporis enim nervi, numero naturaque inter se diversi quisque suum motum habent, a foris per medium acceptum et cum rei sensilis motu congruentem. Quibus

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. ii, § 11.

positis, si quid frigus in se habet, et per medium nervos tactus percutit, in hisce nervis, quoties jam allato motu cientur, nihil immutatur, neque frigoris sensum ullum percipit anima. Sed ubi quid nervis frigidius eisdem nervis, quos per medium contingit, motum suum dat et communem facit, protinus anima plus minusve sentit pro ratione mutati motus. Quod si quid e contrario calidius corpori obvium incurrit, tactilibus nervis in diversum impulsis, anima rursus calorem patitur. Neque solum in tactu frigus et calidum, sed etiam siccum et humidum, durum et molle, nonnullaque alia eodem modo opponuntur. Quod ad ceteros sensus spectat, in unoquoque unica apparet repugnantia : sic visus ad album et nigrum, auditus ad acutum et grave, gustus ad dulce et amarum pertinere videntur [1].

Inde insuper facile intelligitur, nihil admodum sentiri posse, neque quum levior, neque quum violentior æquo fit motus. Quoties enim nullo aut parum apto motu quatiuntur oculi, aures aliive nervi, nobis sunt tenebræ et silentium, nullusque efficitur sensus [2]. Rursus vero corporis partes sensibus aptas lædit et disturbat quidquid in sensilibus rebus est nimium ; et quum forte vehementius moventur, tollitur justa ratio ex qua constat ipse sensus, perinde ac concentus, ubi valentiori digito chordæ pulsantur.

[1] Περὶ ψυχ., l. II, 11, § 8.
[2] *Ibid.*, l. II, 10 et 12.

Effugit igitur auditum quidquid gravius acutiusve resonat; visum vero, quidquid ardentissimo colore splendet; et si quid acrius olet, olfactum [1].

Nunc demum ipsum sentire, quid proprie sit apud Aristotelem? Moveri et pati, κινεῖσθαι καὶ πάσχειν, ut ipse de re pronuntians loquitur. Sed quæ vis insit in his verbis, nemo satis attendet, nisi in promptu habeat, qua ineluctabili connexione corpus et animam, in his quæ attinent ad sensum, noster conjunxerit. Huic enim videntur omnes affectus animæ cum corpore esse, ut ira, mansuetudo, timor, misericordia, confidentia, gaudium postremo, odium atque amor, quæ cuncta non sine quodam corporis motu existere possunt; indeque colligit affectus rationes esse materiæ insitas, « δῆλον ὅτι τὰ πάθη λόγοι ἔνυλοί εἰσι [2] », nempe, ut arbitror, variorum affectuum rationem ex ratione variarum materiæ partium pendere.

Nec tamen idem docet animam ipsam moveri, quippe qui potissimum hanc nonnullorum philosophorum sententiam non semel reprehendat et confutet [3]. Sed, quotiescumque afficitur anima, congruentem in apta corporis parte motum simul fieri censet, sive affectus ex motu, sive motus ex affectu sequatur : sic in sensu motus venit

[1] Περὶ ψυχ., l. I, 1, § 10.
[2] *Ibid.*
[3] *Ibid.*, l. I, c. II, III, IV.

a corpore; in recordatione vero, anima ad motus corporeos, seu vestigia in sensuum instrumentis impressa ultro respicit [1]. Imo nonnisi improprie, si audiatur Aristoteles, animam sentire dicimus. «Dicere animam irasci, simile est atque si quispiam animam texere vel ædificare dicat; nam melius est dicere, non animam, sed hominem anima misereri [2].» Ideoque sensum neque corpori neque animæ proprium, sed rem utrique communem esse censet [3].

Quum igitur sentit homo, quid in eo fiat? Movetur et patitur. Nimirum, quod ad corpus spectat, movetur; quod vero ad animam, patitur. Nec moveri et pati, etsi in eo qui sentit, indissolubili nectuntur nodo, unum et idem sunt. Hoc enim inter res quæ anima carent et animantia omnia præcipue interest, quod illæ quidem mutantur insciæ, hæc vero, quoties mutantur, sentiunt se mutari, suntque in eo maxime quod sentire se sentiunt [4]. Motus igitur nihil est, nisi concussarum in corpore partium translatio. Pati autem significat varios animi affectus, quos quisque nostrum in se experitur et solo conscientiæ testimonio notat, quotiescumque audit aut videt aut aliter sentit; sicque pati non idem est ac cor-

[1] Περὶ ψυχ., l. I. c. IV, § 12.
[2] *Ibid.*, l. I, c. IV, § 12.
[3] Περὶ ὕπνου, l. I, c. I.
[4] Φυσικ. ἀκροα., l. VII, 2.

rumpi et depravari, quum contra qui sic a mera potentia ad effectum adducitur, augeatur potius et in melius mutetur[1].

Sic, in Aristotelica doctrina, omnem sensum ex motus et affectus convenientia, hoc est, ex concursu corporis impulsi et animæ percipientis oriri, pro certo censeo habendum, nec dubito quin id ex hujusce disceptationis summa jam satis appareat. Sed non semel ipse Aristoteles, dum motum et affectum uno nomine sensus dicit, *αἴσθησις*, præfatam distinctionem oblivisci videtur, et rebus affert obscuritatem, qua juvante tota ipsius ratio postea ab interpretibus in deterius detorqueri potuit. Nec satis scio, utrum adeo perplexe locutus fuerit propter sermonis egestatem, an minus intellexerit rerum quæ sub sensus cadunt notitiam et animi seipsum introspicientis conscientiam longe alio modo obtineri; nam, dum nimium attendit ad corporis animæque concentum, in levi habet nec subtiliter dispicit partes quibus constat quidquid pertinet ad duplicem hominis naturam.

Quid enim sibi velit idem, quum profitetur, sensum id esse quod rerum sensibilium formas sine materia suscipere potest; nempe, ut annuli signum, sine ferro aut auro quo annulus constat, suscipit cera, sic ab eo quod colorem, aut saporem, aut sonum habet, quemque sensum pati[2].

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. II, § 5.

[2] «Καθόλου δὲ περὶ πάσης αἰσθήσεως δεῖ λαβεῖν ὅτι ἡ μὲν αἴσθησίς ἐστι τὸ

Aut fallor, aut quod ita de toto sensu, non sine quadam ambiguitate verbi, dictum legimus, hoc de solo corporis impulsu dici debuit. Necesse est enim intelligi, solis sensuum instrumentis rerum sensibilium formas sine materia suscipi posse, siquidem ea solum instrumenta talia esse in potentia, quales res sensiles sunt in actu abunde patet ex locis modo laudatis[1]. Res enim sensilis in actu non est ipsa rei materia, utputa lac, æs, mel ipsum; sed solummodo res quatenus eo colore, sono, saporeve prædita; id est quod in lacte colorem album, in aere sonum acutum, in melle dulcedinem efficit; scilicet, ut ferunt Aristotelica verba, cujusque rei forma et actus, εἶδος, τὰ ἐντελεχεία, seu mutatio propria quæ, per medium delata, cuique sensuum instrumento traditur[1]. Neque alia est recentissimorum physicorum opinio, qui, re omni cura et arte toties explorata, omnes fere uno ore affirmant animam non ipsis quidem rebus extra positis tangi, sed proxime adesse proprii corporis instrumentis, nervorum nomine dictis, ibidemque sentire diverse, nec minime rerum extranearum proprietates naturamve conjicere posse, nisi per varios eorumdem nervorum motus.

δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης, οἷον ὁ κηρὸς τοῦ δακτυλίου ἄνευ τοῦ σιδήρου καὶ τοῦ χρυσοῦ δέχεται τὸ σημεῖον. » Περὶ ψυχ., l. II, c. XII, § 1.

[1] Περὶ ψυχ , l. II, c. II, § 21. — *Ibid.*, c. x, § 4 et 3; c. VIII, § 6; c. VII, § 5. — Περὶ αἰσθησ., l. III.

Sic sensisse Aristotelem clarissime testantur supra dicta, quibus adjungere licet ea quæ sequuntur : « pars oculi interior lumen suscipit[1] ». « Id quod videt colore quodammodo delibutum est ; instrumentum enim uniuscujusque sensus rem sensibilem sine materia suscipere potest[2]. » « Is qui sentit, potentia tale est, qualis jam res sensilis actu : patitur igitur, quum est non simile ; at passum evasit simile, et est tale qualis res[3]. »

Ipse autem in hisce locis, ubi ea luce profitetur non ad animam, sed ad sola sensuum instrumenta pertinere motus a rebus profectos, idem una, verborum quibus non semel abutitur ambiguitatem aperiens, declarare videtur eas voces quas adhibet et quarum sensus duplex est, *id quod videt*, *id quod sentit*, *τὸ ὁρῶν*, *τὸ αἰσθητικόν*, non de homine toto, sed de hominis corpore vere dici[4].

Nec tamen semper in has sermonis ambages incidit, et si quando res postulat, verba vel nova fingere non

[1] « Δεκτικὸν φωτὸς τὸ ἐντὸς τοῦ ὄμματος. » *Περὶ αἰσθησ.*, c. II. — Vide etiam *Περὶ ψυχ.*, l. II, c. VIII, § 6.

[2] « Τὸ ὁρῶν ἔστιν ὡς κεχρωμάτισται · τὸ γὰρ αἰσθητήριον δεκτικὸν τοῦ αἰσθήτου ἄνευ τῆς ὕλης ἕκαστον. » *Περὶ ψυχ.*, l. III, c. XXI, § 3.

[3] « Τὸ δ' αἰσθητικὸν δυνάμει ἐστὶν οἷον τὸ αἰσθητὸν ἤδη ἐντελεχείᾳ · πάσχει μὲν οὖν οὐχ ὅμοιον ὄν, πεπονθὸς δ' ὡμοίωται, καὶ ἔστιν οἷον ἐκεῖνο, » l. II, c. V, § 7. *Περὶ ψυχ.*

[4] Ea est apud Aristotelem vocis *αἰσθήσεως* ambiguitas, ut nunc corporeum instrumentum, nunc animi affectum, sæpius autem utrumque designet. *Περὶ ἐνυπνίων*, c. II. Imo non semel voces *ὄψις*, *ἁφή* significant oculum aut tactus instrumentum.

dubitat, ut melius designet simplicem et ab omni materia diversum animi affectum, quem proprie appellat *αἰσθητικὴ μεσότης*, *μία μεσότης*[1]. Ita quum causas requirit cur plantæ, quæ non omni genere animæ carent, omni tamen sensu careant, id fieri dijudicat, ex eo quod plantæ habeant neque animam quæ affici valeat, neque instrumentum tale quod sensibilium rerum formas suscipere possit, sed solum cum materia patiatur, « *αἴτιον γὰρ τὸ μὴ ἔχειν μεσότητα, μηδὲ τοιαύτην ἀρχὴν οἵαν τὰ εἴδη δέχεσθαι τῶν αἰσθητῶν, ἀλλὰ πάσχειν μετὰ τῆς ὕλης*[2] »: non secus atque aqua, quæ mel redolere nequit, nisi mellis ipsam materiam susceperit, aut vestis quæ nullum reddit odorem, quin prius imbiberit solidas odoriferorum partes. Quod attinet ad naturas quæ sunt sine animis, mutantur quidem tactilibus rebus, sed nihil pati possunt ab odore, sono vel colore : non enim sonitus tonitrui, sed aer qui cum tonitru est, scindit lignum. Corpora vero quæ mediorum partibus funguntur, nonnihil pati videntur, quum formas rerum sine materia suscipiant : sic olet aer, tanquam aliquid passus. Nec tamen eadem corpora vere sentiunt, quippe quibus desit anima, *μεσότης*; idcirco non olfacit aer, siquidem non sentit, sed passus cito sentiri potest, « *τὸ μὲν ὀσμᾶσθαι αἰσθάνεσθαι, ὁ δ' ἀὴρ παθὼν ταχέως αἰσθητὸς γίνεται*[3]. »

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. VII, § 2 et 3.
[2] Περὶ ψυχ., l. II, c. XII, § 4.
[3] Περὶ ψυχ., l. II, c. XII, § 6.

Sed non solum Aristoteles putat passimque defendit, motus, quos acceptos a re sensili medium oculis, auribus, naribus aut linguæ communicat, longe aliter se habere atque ipsos affectus quos postea percipit animus, sed etiam vult ab eisdem motibus, vel absente re ipsa, easdem corporis nostri partes agitari, tum quum nullo modo patitur animus. Id vero constat ex his quæ pertinent ad imaginationem et memoriam, quas noster docet oriri a sensu quem vocat communem.

Ut enim instituit quemque sensum residere in instrumento suo, quatenus instrumentum est, et differentias sensibiles objecti sui dijudicare; ita novum quemdam excogitat in interiori cordis parte sensum, qui varios affectus in se recipiat receptosque inter se comparet et æstimet: ponit enim singulos motus ex singulis sensuum instrumentis competere in unum, ibidemque esse commune quoddam instrumentum, cui respondet communis sensus, « πρὸς ὃ συντείνει τἄλλα [1]. »

Ex hoc autem communi sensu quum imaginatio, tum memoria videntur pendere.

Nullam enim imaginem rerum cogitatione fingere homini datur, nisi commune ipsius instrumentum quodam modo mutetur, nec tamen motum a re præsenti impressum habeat. Motus autem, semel exceptus, per continuas oculorum auriumve partes, ut missile per auras,

[1] Περὶ ὕπνου, c. II.

manat, neque re subducta vel semota cessat. Quod quidem apparet, quoties e splendenti loco repente devertimus in tenebras, solemve adversum intuemur, aut in conspicuo colore undave rapidiore hærentes oculos diutius detinemus. Illi quidem leviores motus, interdiu, quum vere sentimus variaque mente agitamus, eliduntur atque vanescunt, quo modo exiguus ignis apposito majore, et voluptates doloresque modici quibus accedunt immodici. Noctu vero, nobis quiescentibus, vel tenuissimi motus emergunt, delapsique ad inferiora, manifesti fiunt : sic aqua, dum ventus agitatur, variam et confusam ; ut semel resedit omnis flatus, integram claramque rerum imaginem reddit[1].

Ea autem sola memoriæ subjiciuntur quæ possunt sub imaginationem cadere aut aliquid cum imaginatione commune habent. Placet enim Aristoteli aliquid picturæ simile in anima et in parte corporis animam habente inuri per sensum, nec quemquam reminisci, nisi ipsius animus ad motus olim in corpore impressos ibidemque inhærentes respiciat, oblatamque imaginem consideret quasi alterius rei simulacrum, adjuncta præteriti temporis ratione. Motus enim, a re superveniens, quamdam veluti figuram rei imprimit, haud secus ac qui annulis ceram sigillant : quocirca in iis quos impetus libidinum aut tenera ætas varios et fluxos facit, quasi motus et si-

[1] Περὶ ἐνυπν., c. II.

gillum in amnem profugum incidat, deficit memoria; itemque in aliis quorum partes nimio attritu rigidæ, tanquam rudera diffluunt motuque abhorrent[1].

Patet igitur, ex allatis testimoniis, Aristotelem non semel obscurius dixisse, at in re passim et omni modo significavisse, quæ sit corporei motus et animi affectus distinctio; neque haud sane erat, quod ita in eo commorarer, nisi id maximi momenti et ponderis mihi visum fuisset ad enucleandam ipsius opinionem et veritatem rerum confirmandam.

Si quis tamen motum sine affectu aut affectum sine motu vere fieri et separatim esse posse in actu existimet, is longe aberit, ut doctrinæ Aristotelicæ summam complectatur. Noster enim, quum affert motus impressos in corpore remanere, sublatis etiam rebus externis, ibidem expresse monet, hos non esse veros, sed solum ex se posse fieri, ut primum amoventur ea quæ obstant, « ἔνεισι δυνάμει, ἀνειμένου δὲ τοῦ κωλύοντος, ἐνεργοῦσι[2]. » Motus enim, seu in re sensili, seu in sensuum instrumentis existat, non ipse sibi sufficit, nec satis intelligitur, nisi referatur ad affectum. Hoc quidem cum multa verborum vi significat Aristoteles, quum declarare non dubitat, ratione quidem inter se differre rem sensibilem et animam, sed unam et eamdem esse rei sensilis

[1] Περὶ μνήμης, c. I.

[2] Περὶ ἐνυπν., c. III.

et animæ sentientis actionem, id est, sonum actu et auditum actu, « ἡ δὲ τοῦ αἰσθητοῦ ἐνέργεια καὶ τῆς αἰσθήσεως ἡ αὐτὴ μέν ἐστι καὶ μία, τὸ δ' εἶναι οὐ ταὐτὸν αὐταῖς· λέγω δ' οἷον ψόφος ὁ κατ' ἐνέργειαν καὶ ἀκοὴ ἡ κατ' ἐνέργειαν[1]. »

Contingit enim et auditum habere et non audire, et id quod habet sonum non semper sonat, sed quum audit id quod audire potest et sonat id quod potest efficere sonum, tum simul fit et auditus et sonus, quorum alterum auditionem, alterum resonantiam dicas. Et quoniam quidquid efficitur, in eo fit quod patitur, necesse est quidquid reipsa sonat et audit fieri in eo quod audire potest, « ἡ τοῦ αἰσθητοῦ ἐνέργεια καὶ ἡ τοῦ αἰσθητικοῦ ἐν τῷ αἰσθητικῷ[2]. » Neque aliter est de ceteris sensibus.

Quum autem una sit rei sensilis et sentientis actio, rursum necesse est simul existant simulque pereant auditus ac sonus, sapor itidem ac gustus, ceteraque similiter, dum sunt reipsa, non tamen eodem modo quum possunt solum esse. Ideoque priores naturæ scrutatores non vere, sed ambigue dicebant, qui quidem sine visu neque album, neque nigrum, neque item ullum sine gustu saporem adesse censerent : etenim quum dupliciter sensus sensiliaque dicantur, τὰ μὲν κατὰ δύ-

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. II, § 4.
[2] *Ibid.*, l. II, c. II, § 4.

ναμιν, τὰ δὲ κατ' ἐνέργειαν, hinc recte, illinc prave locuti sunt [1].

Re enim vera, ita sibi quadrant et inter se cohærent in actu impulsus instrumenti animique affectus, ut affectus quisque sibi respondentem corporis mutationem certo quodam modo finire metirique videatur, nec minime nobis innotescat ea corporis nostri mutatio ipsaque rei sensibilis forma, nisi aptum experiamur affectum. Animus enim qui sentit, utpote non extensus, ab ipsa re sensili penitus natura differt : affectus igitur non est magnitudo, sed quædam proportio quæ nonnullam magnitudinis refert speciem, « οὐ μὴν τό γ' αἰσθητικῷ εἶναι, οὐδ' ἡ αἴσθησις μέγεθός ἐστιν, ἀλλὰ λόγος τις καὶ δύναμις ἐκείνου [2]. » Sicque affectus jure dici potest quasi modus et ratio rerum sensibilium, « ὡς τῆς αἰσθήσεως οἷον μεσότητός τινος οὔσης τῆς ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἐναντιώσεως [3] » « Unusquisque igitur sensus, id est affectus proprius, ad sensibile pertinet objectum, residetque in instrumento suo quatenus instrumentum, et differentias sensibiles objecti sui dijudicat, ut album quidem et nigrum visus; dulce autem et amarum gustus, et ceteri similiter sensus [4]. » Sic dif-

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. II, § 6.

[2] Περὶ ψυχ., l. II, c. XII, § 1.

[3] *Ibid.*, l. II, c. XI, § 11.

[4] « Ἑκάστη μὲν οὖν αἴσθησις τοῦ ὑποκειμένου αἰσθητοῦ ἐστιν, ὑπάρχουσα ἐν τῷ αἰσθητηρίῳ, ᾗ αἰσθητήριον, καὶ κρίνει τὰς τοῦ ὑποκειμένου αἰσθητοῦ διαφοράς, ... » Περὶ ψυχ., l. III, c. II, § 10.

ferentias inter res sonoras sono, qui actu est, manifestæ fiunt; nam, ut absque lumine non videntur colores, sic ne acutum quidem graveque sine sono discernitur[1]; neque alia via singularum rerum singulas proprietates percipimus, « ταῦτα γὰρ τὰ αἰσθητά[2]. »

Quæ quum ita sint, non adeo mirandum erit, si semel aut iterum Aristoteles parum dilucide dixerit, animam esse res singulas quodam modo, « ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πώς ἐστι πάντα[3]. » Sed, dum ita loquitur, non sensum solum, sed insuper intellectum spectat, neque hujusce effati vis omnis intelligitur, nisi referatur ad animam quatenus una sentit et intelligit. Intellectus igitur hic breviter attingendus est.

Ut sensus ad id tendit quod fortuitum et singulare est, sic intellectus ad id quod est necessarium et æternum. Id est autem necessarium et æternum, quod scimus non aliter esse posse, hoc est, cujus veram causam novimus. Quoniam vero in principiis consequentiæ, non secus atque in causis rerum exitus, insunt, demonstrationis ope, qua propositiones particulares conficimus ex principiis in quibus continentur, rerum necessariarum et æternarum scientiam obtinere possumus.

Quid autem requiritur, ut fiat demonstratio? Videlicet

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. VIII, § 8.
[2] Περὶ αἰσθησ., c, VI.
[3] Περὶ ψυχ., l. III, c. VIII, 1.

principia quæ in se habeant consequentias, ipsaque sint priora notioraque consequentiis. Principia autem sunt aut universis scientiis communia, aut singulis propria. Communia quibus nomen est axiomata, nec confirmari nec refelli valent, imo neque plane fugiunt indoctos. Propria autem, quæ appellantur definitiones, propriam cujusque rei vim declarant, sicque semina præbent ex quibus oriuntur singulæ scientiæ.

Sed omne quod eloquimur, sive principium sive consequentia, solvitur ipsum in partes individuas, quas sibi subjectas imprimis habet intellectus, et in quibus, quasi terminis ultimis, consistit cogitatio. Hæ partes, quibus omnia constare et copulari videntur, rursum coguntur in simplicia genera decem, quorum præcipuum est Ens, quod ipsum per se est, et de quo cetera prædicantur.

At qua tandem via id individuum, sine quo nihil intelligitur, assequi valeamus? Id quidem nobis licet inductionis ope, modo ascendamus per universalium gradus. Universale autem ut existat, non est necesse existere aliquid separatum a rebus singularibus; satis est unum quid et idem esse, quod de pluribus dici possit. Res autem singulares, etsi natura sibi propria differunt, nonnullam tamen habent inter se similitudinem, quam sat est citra differentias animadvertere, ut fiat una omnium comprehensio, quæ neque ad hoc, neque ad illud, sed ad singula in universum pertineat.

Nunc vero, quum causæ, principia, quidlibet indivi-

duum, quidquid denique intelligitur ita pendeat ab universali, quumque universale ipsum non in se sit, sed solis constet proprietatibus quæ rebus singulis inhærent, perspicuum est inde sequi, ut quidquid intelligitur ex rebus sensibilibus oriri possit. Sed in anima insunt non res sensibiles ipsæ, sed solæ species quæ animæ rerum effigies afferunt. Quapropter inesse dici possunt intelligibilia in iis quæ materiam habent, « ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν ὕλην δυνάμει ἕκαστόν ἐστι τῶν νοητῶν[1] ; » non tamen in rebus ipsis, sed in rerum formis : non enim lapis in anima est, sed forma lapidis, « αὐτὰ μὲν γὰρ δὴ οὔ · οὐ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος[2] ; » utque rerum formæ nihil aliud sunt, quam imagines memoriæ inhærentes, « τὰ γὰρ φαντάσματα ὥσπερ αἰσθήματά ἐστι, πλὴν ἄνευ ὕλης[3], » intelligibilia in imaginibus consequitur intellectus, « τὰ μὲν οὖν εἴδη τὸ νοητικὸν ἐν τοῖς φαντάσμασι νοεῖ[4]. » Quas igitur partes in eo qui sentit res extra positæ, easdem habent in eo qui intelligit imaginationis simulacra : animæ enim rationali imagines, perinde atque sensibilia sensibus subjiciuntur, ideoque anima nunquam sine imagine intelligit, « οὐκ ἄνευ φαντασμάτων[5] ; » quique nihil sentit, nihil discere vel comprehendere potest, et ubi quis contemplatur,

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. IV § 12.
[2] *Ibid.*, l. III, c. VIII, § 2.
[3] *Ibid.*, l. III, c. VIII, § 3.
[4] *Ibid.*, l. III, c. VII, § 5.
[5] Περὶ ψυχ., l. III, c. VIII, § 3.

necesse est simul imaginem quamdam contempletur, « ὅταν τε θεωρῇ, ἀνάγκη ἅμα φάντασμά τι θεωρεῖν[1]. »

Nec tamen inde minime fieri potest, ut rebus materiam habentibus inhæreat intellectus, « ἐκείνοις μὲν οὐχ ὑπάρξει νοῦς[2].» Quin imo ea quæ intelliguntur longe alia sunt, atque imagines a quibus quamdam sibi materiam sumunt, « οὐδὲ τἆλλα φαντάσματα[3].» Intellectus enim colligit ex variis imaginibus quidquid sibi videtur constans et universum, idque facit unum, « τὸ δ' ἓν ποιοῦν, τοῦτο ὁ νοῦς ἕκαστον[4], » et abstrahit ab omni materia. Ea vero quæ abstracta dicuntur, perinde ac simum intellectus adipiscitur: quatenus simum est, non illud quidem sine carne percipimus; quatenus vero concavum est, idem sine carne in qua concavitas continetur intelligimus. Itemque res mathematicas, quæ nequeunt a corpore sejungi, tanquam a corpore sejunctas, assequitur[5]. Neque aliter in geometricis, intellectus agendo efficit scientiam : novas enim figuras non reperimus, nisi eas cogitando adducamus ad actum, nec novimus, nisi faciamus[6]. Inde fit ut idem sit contemplativa scientia et

[1] *Ibid.*

[2] *Ibid.*, l. III, c. IV, § 12.

[3] *Ibid.*, l. III, c. VIII, § 3.

[4] *Ibid.*, l. III, c. VI, § 2.

[5] *Ibid.*, l. III, c. VII, § 7.

[6] « Καὶ διὰ τοῦτο ποιοῦντες γιγνώσκουσι. » Τῶν μετὰ τὰ φυσ. l. VIII, c. IX.

id quod ita sub scientiam cadit, « ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ καὶ τὸ οὕτως ἐπιστητὸν τὸ αὐτό ἐστι[1]. » In his enim quæ materiam non habent, idem est intelligens et id quod intelligitur, « ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον[2]; » id enim quod intelligit fit intelligibile et seipsum intelligit, « καὶ αὐτὸς δὲ νοητός ἐστι[3] » « αὐτὸ ἑαυτὸ γινώσκει[4]. »

Intellectus igitur, qui quasi locus intelligibilium, nihil est nisi mera potentia, antequam agat, quoties agit, toties fit unumquodque eorum quæ intelligit.

Sic demum effici posse Aristoteli placet, animam fieri id quod sentitur, quatenus sentit; id vero quod intelligitur, qnatenus intelligit, ideoque esse res singulas omnes quodammodo; anima igitur quasi manus erit : manus enim instrumenta, quibus utitur, in suam naturam vertit, et recte dicitur instrumentorum instrumentum. Ita sensus est rerum sensibilium forma ; intellectus vero formarum forma, « καὶ ὁ νοῦς εἶδος εἰδῶν, καὶ ἡ αἴσθησις εἶδος αἰσθητῶν[5]. »

[1] Περί ψυχ., l. III, c. IV; § 12.
[2] *Ibid.*
[3] *Ibid.*
[4] *Ibid.*, l. III, c. VI, § 6.
[5] *Ibid.*, l. III, c. VIII, § 2.

CAPUT SECUNDUM

IN QUO PRÆDICTA RATIO DIFFERAT A CETERORUM PHILOSOPHORUM INSTITUTIS?

Si jam plane cognitam enodatamque habemus rationem quam de sensibus instituit Aristoteles, nunc obvium proximumque erit eamdem cum præcipuis tum superiorum, tum posteriorum temporum doctrinis conferre, sicque definire, in quo maxime discrepet Aristoteles a veteribus philosophis, quibus eadem opinio atque ipsi vulgo tribuitur, in quo vero consentiat cum plerisque recentiorum qui et ipsi in eumdem male notum tanta verborum libertate incurrerunt.

Aristoteles ipse, antequam dicat quid sibi de sensu videatur, omnem, more suo, dedit operam, ut sententias eorum qui rem ante agitaverant, rite exsequeretur et certo ponderaret judicio. Ex his autem, quæ plurima refert, constat omnes philosophos, præter Anaxagoram, ut rationem redderent quemadmodum res sensiles ad

sensus pertineant, a communibus initiis fuisse progressos. Rati scilicet nonnisi similia a similibus sentiri posse, animam, cui natura sensum dedit, finxerunt ex diversis rerum elementis concretam. Elementa vero, quibus constat, hi corpora esse; illi, non corpora; alii vero mixta et confusa voluere. Una enim, ex nonnullis, animæ sufficit natura : nempe ignis, si Democritus et Heraclitus audiantur; aqua vero, si Thali et Hipponi; aer contra, si Diogeni, et sanguis, si Critiæ credatur. Imo anima ex omnibus elementis oritur, ex Empedoclis sententia, cui si fides adhibeatur, « terram terra, aquam aqua, aerem aere, ignemque igne, ut amore amorem et tristi discordia discordiam percipimus[1]. » Eamdem rursus ex contrariis elementis compositam docuere Pythagorei, quorum alii calidam, alii frigidam, hi vero numerum, illique concentum eam tenent[2].

Idem exinde Aristoteles singulas, quas fuse retulit, opiniones multis argumentis evertere, et principium ex quo omnes pendent in quo peccet ostendere nititur. Nullo enim modo profitetur fieri posse, ut similia a similibus sentiantur, nisi tamen eo modo quo simile simili nutriri dicitur. Quatenus enim coctione caret alimentum, contrarium contrario alitur; quatenus vero concoctum est, simile simili : sic pani nondum consumpto nihil cum

[1] Περὶ ψυχ., l. I. c. II, § 6.
[2] *Ibid.*, l. I, c. II, *passim.*

carne animalis commune est; panis vero consumptus it in carnem inque naturam carnis vertitur[1]. Item cœli tonantis fragor, quamdiu non percutit aurem, nullam refert similitudinem hominis qui audire potest: neque enim auri communicatur motus aeris fulmine impulsi, neque auditus proprium tonitrui sonitum percipit. Sed auris, ubi aere quatitur, eodem, quo aer ipsumque tonitruum, motu cietur, animaque simul reipsa audit, dumque sic agit, nou ipsum fit tonitruum, sed quasi nonnulla tonitrui ratio, « λόγος τις[2]. »

Jacet igitur omnis ratio eorum qui rem sensibilem, antequam sentiatur, ei qui sentit similem esse volunt. Nec minus noster revincit eamdem, quum redarguit ea quæ ex prædicto principio sequi debeant. Etenim, si revera sentiantur a similibus similia, vel singulæ corporis nostri partes sentire debent: at vero tori caroque ossaque omni sensu carent. Imo necesse erit animantem esse quamlibet naturam, quæ, quum ex uno, vel pluribus, vel cunctis elementis constet, cuncta, vel plura, vel saltem unum sentiet. Jamvero quæ gignuntur e terra, quæ causa sit cur sine sensu vigeant? Insuper, etsi anima sentit singula rerum elementa, at totum ipsum quonam modo sentiet, ut quid sit Deus, vel homo; vel caro, vel os et quidquid simili ratione constituitur? Nihil

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. IV, § 11.
[2] Περὶ ψυχ., l. II, c. XII, § 2.

igitur prodest, cuique animæ inesse ipsa rerum elementa, nisi eadem apta compositione constent: quis vero putet hominem lapidemve bonumve ipsum animæ inesse[1].

Si quid colligi potest ex illa in priorum sententias instituta disputatione, inde maxime patet, vehementer errasse eos qui postea Aristoteli adscribebant opinionem haud absimilem ab ea quam Leucippus et Democritus habuerant. Qui quidem docuere mitti ab rebus simulacra, quæ, quasi membranæ tenues summo de corpore dereptæ, similem rerum speciem ac formam menti per varios sensus afferant: ita ut singuli sensus nihil demum sint, nisi varia tactus genera. Ea vero non modo cum omni Aristotelis doctrina pugnant, sed etiam ab ipso proprie graviterque coarguuntur. « Democritus et ex naturæ interpretibus qui de sensu disseruere plerique absurdissimum quidpiam admittunt; nam sensibilia omnia tactilia faciunt. Quamquam, si hoc ita sit, certum est omnes quoque alios sensus tactum quemdam esse: quod fieri non posse nequaquam difficile est internoscere[2].»

Sed ab eadem Aristotelis institutione multo etiam longius distare videntur quæ postea tradidere Stoici. Hi enim rati nihil esse sine corpore in natura rerum, animam nobis ingenitam spiritum calidum esse putant, πνεῦμα θερμόν, docentque principem ejus partem, quam

[1] Περὶ ψυχ. l. I, c. V, *passim*.

[2] Περὶ αἰσθήσ., c. IV.

vocant ἡγεμονικήν, habere veluti membranam scripturæ paratam atque opportunam, in qua singulæ notitiæ inscribantur. Quum autem primus adnotationis modus solo sensuum opere fiat, sensum ipsum dicunt esse affectionem in animo factam, se et id a quo oritur ostendentem, τύπωσιν ἐν ψυχῇ : sic, ubi visu aspicimus album, effici in animo commotionem, cui album, quod ipsam excitavit, respondere existimamus. Ex quo intelligi potest, Stoicos et Democriti discipulos eo convenire, quod utrique profiteantur, emergere e rebus simulacra, quæ, per auras admota, animam adeant. Nec tamen ideo plane congruunt inter se; namque eam Democritus vult esse simulacrorum naturam, ut ex solidis elementis apta nudam præbeant rerum externarum figuram, nec minimam in se habeant similitudinem affectionum quas in animis cient instrumentorum impulsu quasque experimur, quoties odorem quemlibet, aut saporem, aut sonitum, aut colorem, aut frigidum calidumve sentimus. At contra Stoici eadem simulacra affirmant exhibere per se veram perfectamque quum rerum externarum, tum animi affectionum effigiem, neque ullo modo differre a sensibus quos in nobis informant. Celebrem igitur tuentur ab ipso Zenone traditam sensus definitionem, quem is dicebat esse visionem quæ impressa sit atque efficta ex eo quod est, veluti est, qualisque nunquam fieri possit ab eo quod non est : imo hunc sensum nominant φαντασίαν καταληπτικήν, id est imaginem comprehensivam vel

comprehendentem, eumdemque distingunut ab eo qui comprehendi non potest[1].

Nec aliter ipsi Academici censent, qui mire definitionem istam comprehensionis commendant; nisi quod Stoici multas ejusmodi visiones esse, pertinaciter asseverant; Academici, ne unam quidem talem contigisse unquam aut contingere posse. Hi nimirum, quum profiteantur non res ipsas animos nostros ingredi, sed solas immissas a rebus imagines, quæ plerumque fallere solent, nec præ se notam ferunt, qua verum a falso discernatur, inde effici volunt, ut nullum apud nos visum comprehensum esse possit, aut verum haberi debeat; nec tamen negant idem posse verum videri et probabile judicari, quia « probandi species est, ut ait Tullius, percipiendi nullum signum habemus[2] ».

Academici igitur et Stoici, ut inter se de sensuum fide dissident, sic uno ore affirmant, et cum Democrito defendunt, corpora solida elabi e rebus et in anima corporea imprimi. Quantum vero ab eorum omnium opinione discedat Aristoteles, quippe quum animam ab omni concretione materiæ sejunctam voluerit, jam nemo non videt; idque, ut apparet, nonnisi rudes et plumbeos interpretes effugere potuit. Sed plerique, dum laborant ut eamdem doctrinam melius et verius expli-

[1] V. Cicer., Lucullus, *passim*.
[2] V. Lucullum, § 34.

cent, rursus arbitrantur Aristotelem docuisse, non ipsas quidem res, nec corporea rerum simulacra, sed species quasdam corporis expertes, quas novo et barbaro nomine dicunt *intentionales*, ad animam accedere, eique rerum sensibilium notitiam afferre.

Eam vero conjecturam finxisse primus omnium mihi videtur Averroës, cujus ea sunt verba quæ legere est in paraphrasi ad Aristotelem :

«Natura non vadit de opposito ad oppositum, nisi per medium, et impossibile est ut spirituale acquiratur a corporali nisi per medium.... Esse formarum in mediis est medio modo inter spirituale et corporale; formæ enim extra animam habent esse corporale purum, et in anima spirituale purum, et in medio medium inter spirituale et corporale : et dico media in hoc loco instrumenta sensuum et ea quæ sunt extra sensuum instrumenta...... formæ igitur habent tres ordines, quorum unus est incorporalis ; et secundus est in sensu communi, et est spiritualis; tertius autem est in virtute imaginativa, et est magis spiritualis; et quia est magis spiritualis, quam in sensu communi, non indiget virtus imaginativa in faciendo eam præsentem præsentia rei sensibilis extra [1]. »

[1] Περὶ αἰσθητῶν. Averrois Paraphrasis. — «Quod virtus imaginativa comprehendit de subjecto, est illud quod pictor describit in pariete; et illud quod comprehendit virtus memorativa, est intentio

Quæ sic barbare expressa vix sustinent legentium oculi, ea nimirum non minus ab Aristotele quam ab ipsa ratione abhorrere haud dubie sentiet quisquis veri Aristotelis scripturam noverit: qui quum dicat formas rerum sine materia suscipi posse ab eo qui sentit, nec tamen velit eum qui sentit esse animam a corpore sejunctam, sed hominem ipsum corpore simul et anima constantem, illud quod sic corpori soli magister proprie tribuerat, hoc ipsum in animæ natura discipulus ponit; formas enim rerum quas ille in solis sensuum instrumentis circumscriptas tenuit, hic gradatim traducit in animam. Sed quia nulla potest esse animo cum corpore conjunctio, easdem, quas corporeas profitetur intra primum iter, sensim extenuari eundo fingit Averroës, donec, ex aliis in alias subtiliores mutatæ, omnem ma-

illius picturæ; et ideo quod exsistit in rememorativa magis est spirituale quam quod exsistit in virtute imaginativa. Et quia ista virtus est diversarum actionum, adeo habet diversa loca in capite. Et quia sentiens sentit primo, deinde imaginatur imaginans, deinde distinguit distinguens, deinde recipit conservans, necesse est ut imaginans sit in Orizonte anteriori cerebri, deinde cogitans sit in medio, deinde memorans et conservans sit in posteriori cerebri.... Et ideo manifesti fiunt quinque ordines; quorum primus est corporalis magni corticis, et est forma sensibilis extra animam; secundus autem est istius formæ in sensu communi, et est primus ordinum spiritualium; tertius est esse ejus in virtute imaginativa, et est magis spiritualis. Quartus est in virtute distinctiva. Quintus autem est ejus in virtute rememorativa, et est magis spiritualis: recipit enim medullam ejus.» Περὶ μνήμης. Paraph. Averrois.

teriam exuant, et demum in puras et simplices species abeant. Quæ quidem somnia dum in Aristotelem confert arabicus interpres, non minus ab ejus genuina mente desciscere videtur, quam quum variis animæ partibus varias assignat in corpore sedes, aut quum rursus statuit unum omnium hominum intellectum communem esse. Nec ita tamen, credo, traditam a principe philosophorum doctrinam corrupisset, si græca Aristotelis scripta in manibus habuisset, neque nimium credidisset imperitorum interpretum fidei.

Averroës autem, quem inter christianos potissimum, philosophiæ nomine, ipsi Aristoteli, si non prælatum, certe æquatum fuisse refert Bruckerius, ea auctoritate valuit apud mediæ ætatis doctores, maximeque apud Albertum magnum et Divum Thomam, eruditissimos et gravissimos viros, ut minime mirandum videatur, si ea, quam Aristoteli circa sensuum species falso adscribebat, opinio, fere ab omnibus eodem tempore philosophis tanquam vera et Aristotelica accepta fuit.

Quid vero magis mirum, quam Cartesium multosque alios a Cartesio profectos, dum philosophiam falsis opinionibus et argutiis per tot annos misere corruptam emendare tentant, acriter invehi in Aristotelem, quem specierum sensibilium primum auctorem putant, illasque species commentitias redarguere unaque voce explodere, nimirum ut ipsi circa sensus doctrinam reponant, quæ cum Aristotelis doctrina in melius accepta, magna ex

parte concinere mihi videtur? quæ quum sit etiam nunc vulgo tradita, paulo fusius explicare in quo Noster cum recentioribus consentiat, idque plurimis testimoniis confirmare, operæ pretium erit.

Audiamus igitur ante omnes Cartesium pronuntiantem « non necessarium esse supponere materiale quidpiam ex objectis ad oculos nostros manare, ut lumen et colores videamus ; neque quidquam in istis objectis esse, quod simile sit ideis quas de iis mente formamus ; quemadmodum nihil ex corporibus quæ cæco occurrunt per baculum ad manum illius fluit, constatque motum aut resistentiam horum corporum, quæ sola percepti sensus causa est, nihil simile habere ideis, quas inde animo apprehendit. Et hac ratione mentem habebimus liberam ab omnibus illis exiguis simulacris per aerem volitantibus, quæ *species intentionales* philosophi, mirum in modum iis devexati, nominabant [1]. »

Qui quum ita judicat, ut contra eos qui Aristotelis discipulos se ferunt, sic cum vero Aristotele facit inscius. Cujus quidem multis in locis sententiam atque interdum ipsa verba eumdem vere referre dicas. « Concipiendum est, dum sensus externus movetur ab objecto, figuram quam recipit deferri ad aliam corporis partem, quæ vocatur sensus communis, eodem instanti et absque ullius entis realis transitu ab uno ad aliud..... Concipiendum

[1] Dioptrice, c. 1, § 5.

est sensum communem fungi etiam vice sigilli ad easdem figuras vel ideas a sensibus externis puras et sine corpore venientes in phantasia vel imaginatione veluti in cera formandas; atque hanc phantasiam esse veram partem corporis.... Denique concipiendum est vim illam, per quam res proprie cognoscimus, esse pure spiritualem, atque a toto corpore non minus distinctam, quam sit sanguis ab osse, vel manus ab oculo.... Atque una et eadem est vis, quæ, si applicet se cum imaginatione ad sensum communem, dicitur videre, tangere, etc.; si ad imaginationem solam, ut diversis figuris indutam, dicitur reminisci; si ad eamdem ut novas fingat, dicitur imaginari, vel concipere; si denique sola agat, dicitur intelligere[1]..» « Nihil ab objectis externis ad mentem nostram per organa sensuum accedit, præter motus quosdam corporeos; sed ne quidem ipsi motus nec figuræ ex iis ortæ, a nobis concipiuntur, quales in organis sensuum fiunt; unde sequitur ipsas motuum et figurarum ideas nobis esse innatas; ac tanto magis innatæ esse debent ideæ doloris, colorum, sonorum et similium, ut mens nostra possit occasione quorumdam motuum corporeorum sibi eas exhibere; nullam enim similitudinem cum motibus corporeis habent[2]. »

Eadem disseruisse fere singulos disciplinæ Cartesianæ

[1] Regulæ ad direct. ing., reg. XII, § 2, 3, 5.
[2] Nota in Regium, art. XIII.

fautores, imprimisque luculentis verbis Malebranchium, satis constat, ideoque demiror cur Lockius, nescio qua nova moliendi cupiditate motus, hos omnes graviter increpuerit, tanquam varios odorum, colorum, saporum, sonorum calidique frigidive sensus revera extensos esse docuissent[1]. Id enim notatione dignum est, eumdem Lockium, Cartesii vestigiis insistentem, fusius ostendisse, eosdem sensus, quatenus mentem nostram afficiunt, nulli rei extra nos positæ magis similes fieri posse, quam ipsis sensibus voces quibus significari atque in memoriam revocari solent[2]. »

Neque aliter ipsi, non pauci numero, nec minimæ notæ, philosophi, Scoti dicti, quorum præcipua nomina Th. Reid, Dugald-Stewart et Royer-Collard proferre satis erit, profitentur neminem nostrum calidum frigidumve pati, odoremve aut sonum aut colorem aut saporem ullum percipere posse, quin de qualitatibus rebus externis inhærentibus, tanquam de causis omnino ignotis, necessario cogitet. Si quis a me petat, inquit Reid, quid sit in rosa odoris nomine dictum, nullum responsum ad id ipsum dare mihi licet. Etenim, dum, mecum reputans, animadverto me sensum, quo afficior, clare percipere, itidem video in rosa, quæ nullo modo sentit, nihil simile inesse; quodque proprium est rosæ in me sensum mo-

[1] Tract. de intell. humano, l. II, c. XIII, § 25.
[2] Lock., Tract. de int. hum., l. II, c. VIII, § 7.

ventis, id ipsum quid sit nescio, nec minime nuntiant sensus.... Sunt philosophi qui dicant nec calidum in igne, nec frigus in glacie, nec in melle dulcedinem inesse; neque errant, si modo teneant ignem glaciemque melque nihil sentire; sed tamen perperam loquuntur, quum in his rebus causa nostrorum sensuum nonnulla sit, ideoque in ambiguitatem incidunt[1].

Si quis nondum videat, quam apte rationi Aristotelicæ ista congruant, is jam locum modo laudatum consideret. « Quum actus rei sensilis et sensitivæ unus sit, quamvis diversas habeat rationes, necesse est simul corrumpantur simulque sint salvi auditus ac sonus qui hoc modo nuncupantur, et sapor itidem et gustus, ceteraque similiter; at ea quæ dicuntur potentia, non hanc necessario subeunt legem. Verum non recte priores naturæ scrutatores de hac re locuti sunt, qui quidem sine visu album ullum neque nigrum adesse censebant: etenim quum dupliciter sensus sensibiliaque dicantur, potentia atque actu, his quidem competit quod dictum est, illis autem non fit. At illi de iis simpliciter loquebantur, quæ simpliciter non dicuntur[2]. »

Si nihil igitur aliud, nisi varios colores, sonos, odores, sapidumque et frigidum calidumve sentiremus, etsi lacessitus improbatusque a recentioribus philosophis, re

[1] Th. Reid., Tract. de int. humano, c. v, § 8.
[2] Περὶ ψυχ., l. III, c. II, § 8.

tamen cum illis consentiret Aristoteles. Illi vero duplex genus qualitatum in omni re sensibili distinguentes, in eo graviter a Nostro differunt.

Et primum Cartesius affirmat: « Naturam materiæ, sive corporis in universum spectati, non consistere in eo quod sit res dura, vel ponderosa, vel colorata, vel alio aliquo modo sensum afficiens, sed tantum in eo quod sit res extensa in longum, latum et profundum; nam, quantum ad duritiem, nihil aliud de illa sensus nobis indicat, quam partes durorum corporum resistere motui manuum nostrarum, quum in illas incurrunt; si enim quotiescumque manus nostræ versus aliquam partem moventur, corpora omnia ibi existentia recederent, nullam unquam duritiem sentiremus. Nec ullo modo potest intelligi corpora quæ sic recederent idcirco naturam corporis esse amissura, nec proinde ipsa in duritie consistit. Eademque ratione ostendi potest, et pondus et colorem et alias omnes ejusmodi qualitates, quæ in materia corporea sentiuntur, ex ea tolli posse, ipsa integra manente; unde sequitur a nulla ex illis ejus naturam dependere [1].» « Longe alio modo cognoscimus, quidnam sit in viso corpore magnitudo, vel figura, vel motus, vel situs, vel duratio, vel numerus, et similia quæ in corporibus clare percipimus, quam quid in eodem corpore sit color, vel odor, vel sapor, vel dolor, vel quid ex iis

[1] Princip. philosop., pars II, 4.

quæ ad sensus referuntur... Materiam extensam clare intelligimus, tanquam rem a Deo et a nobis, sive a mente nostra plane diversam; ac etiam clare videre nobis videmur, ejus ideam a rebus extra nos positis quibus omnino similis est advenire: dei autem naturæ plane repugnare ut sit deceptor; atque ideo hic omnino concludendum est, rem quamdam extensam in longum, latum et profundum, omnesque illas proprietates, quas rei extensæ convenire clare percipimus, habentem existere. Estque hæc res extensa, quam corpus, sive materiam appellamus[1]? »

Neque alio modo Lockius distinguit qualitatum genera duo, quarum aliæ, quas præcipuas nominat, in unoquoque corpore vel in infinitum diviso et prorsus mutato usque perstant; sic extensum, solidum, mobile, figuratum et numerabile quidlibet corporum non esse non potest. Aliæ vero, secundariæ dictæ, nihil sunt, nisi variæ rerum proprietates, quarum vi varios sensus colorum, sonorum, odorum, saporum, frigoris calorisve experimur. Indeque colligendum esse censet, primarias qualitates in rebus esse quasi exemplaria vera, quorum species, quas habemus, perfectam similitudinem gerunt; secundarias vero, sensibus, quos in nobis excitant, nullo modo congruere.

Eadem usi distinctione, ipsi Scotorum principes docent

[1] Princip. phil., p. 1, § 1, 69.

nos nonnisi obscura via secundarias qualitates assequi, dum clara rectaque luce primarias percipimus.

Ceterum ea, quam nunc fere omnes ab auctore Cartesio usurpant, opinio jam usque a primis philosophiæ temporibus ducitur. Constat enim Democritum voluisse; prima rerum elementa, scilicet atomos extensas et solidas, figuram motumque habere, neque tamen colore, frigido calidove, sono, sapore vel odore sibi proprio esse prædita, easque qualitates, utcumque corpora sensibus nostris admoventur, ex contactu sequi: utque ignis, qui neque silici, neque ferro inest, ex utriusque conflictu micat, sic elementa, simul ac nostra corpora movent, sensus, quos non habent, efficere.

Nemini quidem dubium esse potest, quin Aristoteles, quem ne minima quidem fugiebant priorum instituta, hanc noverit Democriti doctrinam, idque satis testantur ipsius libri. Sed eamdem falsam esse ratus, ipse novam dividendi rationem excogitavit, agnovitque rerum quæ per se sentiri possunt duplex genus, aliud unius cujusque proprium sensus, aliud vero commune cunctis. « Proprium autem sensibile dico, id quod alius sensus sentire non potest et circa quod error fieri nequit, ut color respectu visus, et sonus auditus, et sapor gustus[1]... Communia vero sunt motus, quies, numerus, figura et magnitudo: talia namque nullius sunt propria sensus, sed

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. VI. — V. etiam, l. III, c. I.

omnibus communia; etenim et tactui motus quidem sensibilis est et visui.»

Ex his patet sensibilia quæ Noster propria dicit, unum et idem esse atque eas qualitates quæ a recentioribus secundariæ nominantur, nimirum colores, sapores, sonos, odores, durum ac molle, humidum et aridum, frigidum et calidum; pariterque communia primariis qualitatibus haud multo secus respondere. Nec tamen quum adhibet easdem divisionis partes, ille eamdem partium distinctionem esse vult, quippe qui communia et propria eodem modo per se sentiri censeat, nec propriis minorem majoremve quam communibus tribuat veritatem. Illud autem in promptu est cuique legenti locum in quo supradictam sententiam, quam refert, pluribus argumentis impugnare nititur.

« Sunt qui propria redigant ad communia, sicuti Democritus. Is enim candorem quidem lævitatem, nigrorem vero scabritiem esse affirmat ; sapores autem figuris tribuit. Atqui cognoscere communia aut ad nullum sensum, aut ad visum potius spectat. Si ergo ad gustum potius spectaret, quum exactissimi sensus sit in singulis generibus tenuissima quæque discernere, oporteret sane gustum quum cetera communia maxime percipere, tum figurarum arbitrum esse perspicacissimum. Ad hæc, sensibilia omnia contrarietatem continent, ut in coloribus quidem album et nigrum, in saporibus vero dulce et amarum ; figura vero figuræ non videtur contraria :

cui enim ex multangulis rotunditas contraria est? Præterea, quum figuræ sint innumeræ, sapores quoque innumeros esse necesse est : cur enim alius sensum moveret, alius vero non[1]. »

Liquet igitur Aristoteli displicuisse opinionem, qua Democritus et post Democritum plerique recentiorum ab una eademque causa, scilicet figurarum diversitate, sensus omnes repetunt, neque ad calidum aut frigus, ad sonos aut colores, aut sapores, aut odores gignendos ullas novas et proprias vires in rebus externis requirunt : ipsum vero totidem sumpsisse rerum corporearum qualitates, quot sunt diversæ sentiendi rationes. Nimirum ut odor, aut color, aut sonus, aut sapor a figura disjunctissimi sunt in sentiendo, ita formas etiam eas a quibus coloris, aut odoris, aut soni, aut saporis sensus oriuntur, prorsus alias esse Noster tenet ab eis quæ figuræ notionem in nobis excitant. Neque ideo putat inter easdem formas rebus externis instrumentisve sensuum inhærentes et ipsos affectus quos in animis cient ullam esse similitudinem : nihil enim admittit in corporibus, præter materiam indiscretam, nisi occultas vires, quas non ipsas intuemur, sed solum inducimus ex sensibus quos nobis afferunt. Non alio igitur modo eas novimus quas sine causa dicunt primarias, ac secundarias rerum qualitates, nec melius et distinctius rei extensæ, motæ

[1] Περὶ αἰσθήσ., c. IV.

aut solidæ, quam rei coloratæ, sapidæ resonantisve naturam perspicimus: quoties enim sentimus aliquid colore vel sapore, vel sono quolibet esse præditum, sentimus idem esse extensum, aut solidum, aut quiescere aut moveri, neque aliter secundariæ qualitates differunt a primariis, nisi quod illæ proprie ab unoquoque sensu, hæ vero communiter ab omnibus percipiuntur.



CAPUT TERTIUM

In quo ceteris præstet Aristotelica ratio?

Nunc demum Aristotelica institutio, quam non modo fideliter expressam, sed etiam ab omnibus ceterorum philosophorum doctrinis distinctam videri ante omnia volebam, quid ipsa valeat ad firmandam sensuum fidem, aut in quo peccet inquirendum.

Omnes fere quidem philosophi, dum, contra auctoris nostri sententiam, sensus omnes vel nonnullos rerum externarum species esse earumdemque similitudinem quamdam referre defendunt, eo usque devolvuntur vel inviti, ut sensuum fidem omnem tollant faciantve suspectam. Sic, data sensus definitione quam Stoici tenere necesse sibi judicabant, non ita facile dilui posse videntur ea quæ ab Academicis contra dicebantur. Quum enim Zeno sensum esse dicat, visum (quod Græci φαντασίαν vocant) impressum effictumque ex eo unde sit, quale esse

non possit ex eo unde non sit [1], quid respondeat Arcesilæ neganti ullum esse visum verum, cui non oppositum sit visum aliud falsum, quod ab eo nihil intersit quodque percipi non possit? Jamvero, etsi tanta similitudo in rerum natura non est, videri certo potest : fallet igitur sensum , et si una fefellerit similitudo, dubia omnia reddiderit. Ad id enim quod agitur, nihil interest, omnibusne partibus visa res nihil differat, an internosci non possit, etiamsi differat. Itaque, quum nihil sit quod vere comprehendi possit, καταληπτόν , Academici retinendam assensionem merito sibi videbantur statuere.

Nec minus in lubrico versantur, qui, interpretationem ab Averroe profectam secuti, putant formas ipsas, a rebus ortas, minui eundo extenuarique gradatim, donec corporis expertes animam adeant. Præter id enim quod nihil absurdius et obtusius dici excogitarive potest, quam species isto modo fieri ex corporeis incorporeas, qua tandem ratione confirment eam, quam sibi sumunt, formarum cum rebus congruentiam? Quamve relinquant animæ, nunquam ex solitudine sua foras prodeunti, viam exigendæ imaginum fidei? Imo species quas sine materia fingunt, quî possent cum corporibus convenire?

Unicum restat philosophis effugium, ut doceant sensus oriri in animis et prorsus nullam rerum effigiem in se gerere : sicque nodum expediri posse, hinc Aristoteles, illinc Democritus et una plerique recentiorum, quod

[1] Cic. Acad., II, c. VI.

attinet ad sensus proprie dictos, rectissime intellexerunt. Ipsi enim graviter quidem inter se dissident, quum ille totidem proprias et diversas rerum qualitates, quot sunt in animis sensus, illi vero nihil velint esse in corporibus, quod eisdem sensibus respondeat, præter minutissimarum partium situs et motus : plane tamen utrique consentiunt, ubi quæritur de ipsius sensus natura, quem uno ore nihil aliud esse prædicant, nisi animum, quatenus colore, odore, sono, sapore, calido frigidove afficitur, nec minimam per se tum singularum materiæ virium, tum diversarum figurarum similitudinem præbere ; idque loci jam allati locupletissime testantur. Negata autem omni istius modi similitudine res inter et sensus, nemo non videt quantum onus sibi demant et quam facilem reddant veritatis sensuum defensionem.

Etenim illud in primis minime dubium esse potest, quin sensus quem dicunt nudam ac simplicem affectionem, ψιλὸν πάθος, is semper sit qui nobis appareat. Ita, quum quis voluptate aut dolore movetur, delectari se aut angi certissime affirmat. Similiter, quum albi species dulcisve, aut odori, aut quid hujusce modi sensum ferit, is qui commotionem illam experitur, albi, dulcis aut odori sensu affici se dicat necesse est : id enim verum et illi compertissimum ; et vel quum de iis, quæ extra sunt, rebus, quid sint, statuere non possit, at saltem, quid videantur, certo pronuntiat. Imo, ut confirmat Epicurus, « etiamsi mentiri sensus atque fallere nos possent, non

est quo illos arguamus atque falsi convincamus. Neque enim ejusdem generis sensum ejusdem generis alio sensu judicare est: æqualem enim vim habent et eamdem merentur fidem. Nec qui diversi est generis, eum qui diversi a se generis sensus est, examinare valet, quum diversæ rei quilibet sensus sit judex: non enim odorem judicabit visus[1]....»

Eam fuisse doctrinam communem fere omnium philosophorum, vel eorum qui maxime suspectos sensus habuere, constat ex innumeris testimoniis. Sic Cyrenæi negant, apud Tullium, « esse quidquam quod percipi possit extrinsecus; sed ea percipi volunt, quæ tactu intimo percipiant, ut dolorem et voluptatem; neque se, quo quid colore, aut quo sono sit, scire, sed tantum sentire affici se quodam modo[2].» Sic Clitomachus aqud eumdem declarat, vehementer errare, eos qui dicant, ab Academicis sensus eripi, « a quibus nunquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut sonum nullum esse; illud sit disputatum non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri et certi notam[3].» Sic, quum Pyrrhonis ipsius institutionem refert, sæpius monet Sextus Empiricus scepticum minime ea, quæ sensibus objiciuntur, tollere; namque, ut ait, scepticus iis quidem quibus per speciem cogitur affici, assentitur. Sic

[1] Diog. Laert., in vita Epic., l. X. V. P. Valentiæ Academica.

[2] Cic. Lucull., c. xxiv,

[3] *Ibid.*, c. xxxiii.

denique posterius Berkeleius, Hume Kantiusque, ut ipsorum corporum existentiam negant, ita veritatem eorum quæ animis apparent retinere videntur. Neminem enim reperias, qui testantis intimos sensus conscientiæ vocem rejiciat, nisi forte Protagoram, qui, quum omnem vitæ humanæ rationem penitus evertere sibi proposuisset, contendere non dubitabat idem esse et non esse secundum idem et unum tempus. Quem contra parum sincera fide agentem, hæc, inter alia, in ipsius Aristotelis libris legere est. « Qui dicit esse hoc et non esse, hoc ipsum, quod omnino esse dicit, non dicit: quare id quod nomen significat, non significare dicit: hoc autem impossibile est... Si nomen aliquid significat, et hoc verum est, oportet hoc necessario esse: quod vero necessario est, non contingit aliquando non esse[1]. »

Verum enim vero non solum singuli sensus, uti sunt ipsi, indubitate percipiuntur, sed iidem etiam animo viam præbent, per quam res extra positas rerumque mutationes certo quodam modo assequi valeat. Ita enim sumus a natura instituti, ut quidquid exsistere incipiat, id ex alio oriri ratione concludamus; quumque sensus, quos non ultro movemus, sed sæpius inviti experimur, non omnino ex nobis pendeant, eosdem ad aliquid extrinsecus superveniens referre cogimur. Id vero extraneum, et si, quid in se sit, ne suspicamur quidem, tamen et esse

[1] Μετὰ τὰ φυσικά, l. X, c. v.

et proprias qualitates habere inferimus, ex sensibus quos in nobis concitat. Singulis enim sensibus oportet singulas in rebus respondere proprietates; neque profecto fieri potest, ut id quod calidum aut dulce, aut album aut molle sentitur, unum et idem sit atque illud quod frigidum, aut amarum, aut nigrum, aut durum apparet. Quotiescumque igitur novos sensus percipimus, jure quidem judicamus aliquid in eorumdem causis fuisse immutatum. Quid vero mutatur extra? Aut res ipsa, quum, verbi gratia, admota flammis aqua calore tepescit; aut medium, si qua de causa motum a re acceptum inflectat, ut fluvius remum infringit; aut sensus instrumentum, si corruptum aut non integrum minus valeat, sicque bile suffusi oculi singula in suum colorem trahunt; nam prima a pueritia usu continuo intelligimus, sensum in nobis non fieri, nisi sit in corpore instrumentum, quod aut per medium aut proxime impellat res extra posita. Possumus igitur falli, si quando ex mutato in nobis sensu, rem ipsam ideo mutatam inferimus: potuit enim mutari medium aut instrumentum. Sed toties in errorem labitur solus intellectus, quem penes est veri et falsi judicium omnisque quum prava, tum justa rerum æstimatio; minime vero decipitur sensus, qui nihil ipse judicat, et solum præbet quasi notam, quam intellectus ad discernendas exteras res adhibeat.

Ea ferme fuisse in animo Aristoteli conjicere licet. « De colore quidem, ut ait, judicat visus, non gustus;

de sapore gustus, et non visus, quorum nullus unquam dicit eodem tempore circa idem simul ita et non ita se habere. Imo non alio tempore circa affectionem sensus dubitant, sed circa illud cui affectio accidit : sic idem vinum, aut ipsum mutatum, aut corpore mutato, videri potest quandoque dulce, quandoque non dulce, sed non ipsum dulce, quum est quale est, unquam mutatum est, sed semper idem de eo verum est ; et quod futurum est dulce, necessario tale est [1]. »

Sed quum ita sensibus proprie dictis omnem fidem Noster tribuit, idque merito, non satis animadvertere videtur, quantum iidem a mentis judicio distent. Ipsi enim sensus, quibus afficimur, non ex se affirmant aliquid exterius esse et immutari, sed animum admonent, qui, ex effectu causam inferens, nonnihil certis proprietatibus præditum sensibus subjici colligit. Non igitur de colore visus, aut de sapore gustus judicat, sed ex visu et gustu animus : nihil enim secum affert sensus, nisi indicium quo quisque possit æstimare, non quid sit in se res percepta, sed quibus modis animum movere et afficere valeat.

Aristotelem vero sic in augendis sensuum partibus immodicum esse videmus, ut prædicare non dubitet motum, quietem, magnitudinem, figuram numerumque sentiri per singulos sensus : quæ mihi contra per nullum sen-

[1] Μετὰ τὰ φυσικά, l. III, c. V.

sum omni mentis ope destitutum percipi posse videntur. Nam primum de motu nares, gustus, auditus nihil ab initio nobis nuntiant; neo visus quidem aut tactus eumdem ex se satis ostendunt. Etenim singuli colorum aut frigoris calidive sensus, eo, quo percipiuntur temporis momento, motum non habent, nec moveri dicuntur, nisi referantur ad diversa quum temporis, tum spatii vestigia : nihil enim motus est per se, sed quamdam indicat rerum inter se collatarum rationem; sicque immotum apparet oculis saxum, quod funda libratur rapidius, quam ut in partes diversas videatur divisum. Sed quum eorumdem sensuum, quos modo hic, modo illic experimur, vices seriemque memoria tenemus, menti nostræ licet inferre ipsam rem sensibilem situ mutatam, hoc est, motam videri. Motus igitur, cujus natura producitur in temporis spatium, totus simul nec videri nec tangi potest, dataque occasione mutatorum affectuum, sola rationis vi concipitur, adjuvante memoria. Quies vero nemini in mentem venit, nisi motum neganti, neque ullo modo sentitur, sed aliquatenus intelligitur. Extensum denique esse corpus nec sentimus, neque, nisi fallor, statim a principio novimus. Id enim visu aut tactu solum comprehendi posse inter omnes constat : at nihil oculis primitus intuemur, nisi colores, licetque speciem extensam præbeat omnis colorum sensus, non tamen illam speciem extensam esse animadvertimus simul ac primum videmus : ita ut omnes animantes reliqui ipsique pueri

quibus lumen aliquod rationis nondum apparuit, varios colores cernere, neque eo magis a coloribus illud extensum abstrahere valeant. Neque idem solo tactu citius meliusve notum; nam, tangendo, frigus, calidum, proprios nisus nonnullosque alios sensus percipimus, quos quidem diffundere in continuas corporis nostri partes experiendo admonemur, priusquam eorum causas ad ea quæ extra sunt referamus; sicque ab illo profectu ad extensi corporis cogitationem serius adducimur. Quid autem figura, nisi fines quos in corpore extenso usu observamus? Nec loquor de numero, qui nullus est in re numerata, neque sensu, sed intellectu solo formatur: omnis enim numerus ex unitatibus conflatur; veram autem unitatem in se notat quisque sibimet conscius, et semel abstractam cuilibet sensuum, cogitationum rerumve tribuit.

At si vim sensuum sic nimiam facit Aristoteles, estque in eo redarguendus, non magis ideo ii audiendi sunt, qui primarias qualitates a secundariis ita distinguunt, ut illas penitus percipi, has vero nullo modo cognosci velint. Etenim illud quidem a principio cum Dugald-Stewart et Royer-Collard censeo, omnes qualitates primarias prorsus ad rem quatenus extensam aut solidam pertinere, nihilque dicendum esse de duritie, motu, numero, figura.

Quum vero Dugald-Stewart et Royer-Collard, una cum Cartesio et Lockio, claram distinctamque rei ex-

tensæ speciem nobis inesse affirmant, si de specie ipsa loquuntur, ita est : species enim qua sibi quisque animo effingit corpus continuum in longitudinem, latitudinem et profundum, nihil confusum aut perplexum in se habet, neque ideo multo dilucidior apparet, nec, quoties mutatur sensus instrumentum, minus variat, quam colorum, sonorum ceterorumve similium species. Sin autem dicant nos penitus intelligere, quid sit in ipsa re quæ apparet extensa, mihi tenebræ sunt, minuendamque censeo ingenii humani arrogantiam : quoties enim mihi ante oculos ipsum propono corpus extensum, subit cogitatio partium quibus constat, quæ quidem, ad infinitum secatæ, partes usque extensas retinent, totumque illud, semper divisum, semper compositum, unum et multiplex, mihi videtur in animo informatum et fictum, ut Leibnizio monadas excogitanti placuit, aut potius, quid in re sit, nescio.

Quod ad soliditatem attinet, ea vox rursus in duas sententias accipitur, et modo significat nisum quem in nobis contactus duri corporis ciet, isque nisus, pro cujusque viribus major minorve, sensus est qui nihil corpori simile habet. Eademque, alia quadam notione verbi, interdum indicat impenetrabilem corporis naturam, qua scilicet a loco, quem occupat, quodvis aliud corpus seponere et repellere videtur; sicque rei sensibili vis penitus abdita tribuitur, etiamsi nihil in ipsius natura revera percipiatur.

Quibus de causis, quid sibi velint omnes isti, quum asserunt inter rei extensæ speciem et ipsam rem extensam similitudinem esse, ne minime quidem video : species enim quælibet, siquidem nihil aliud est, nisi animus quatenus sentit, percipit, aut meminit, modo ad animi alterius similitudinem accedere posset: hi vero nullos animos tribuunt corporibus.

Errat igitur si quis cum recentioribus putat, nos posse qualitates ipsas primarias perspicere ; nec melius judicat qui cum Aristotele defendit, nos easdem sentire. Nihil enim vere sentimus, nisi odores, sapores, sonos, colores, durum, asperum, lævum, frigidum, aut calidum, mutaque animalia, quæ nullo tamen sensu carent, nihil ultra percipere valent. Homo vero ingenitam sibique propriam rationis vim habet, qua docente, imo cogente, ubi videt, gustat, odoratur, audit aut tangit, protinus existimat et pro certo tenet, aliquid exterius esse, sine quo nihil tale sentiat, idemque augeri, minui, dividi vel moveri, mutatis sensibus quos efficit.

Nunc vero qui sic existimat, nihil esse in corporibus quod animi contuitu assequi claraque mente comprehendere valeamus, nonne sensim inducitur ; ut, per exempla Berkeleii et Davidis Hume eat, omnemque corporum existentiam tollat? Minime quidem, neque enim exinde sequitur non esse, sed diverse definiri corpora. Quæ quidem, ex Cartesio, dici debent res extensa ; ex D.-Stewart et R.-Collard, res extensa et solida ; juxtaque

Lockium, res extensa, solida, figurata, mobilis, numerabilis; aliter vero, juxta alios : omnes isti nempe putant ipsam corporum naturam intueri et perspicere, neque ea solum quid nobis videantur, sed quid vere sint aperire posse. Aristoteles autem, de viribus humanis verius existimans modumque retinens, docet corporibus inesse vim intimam, non per se, sed per sensus, quos nobis affert, homini notam.

Quum autem, in metaphysicorum libris, idem quærit, an vis ea, quam vulgo materiam dicit, in rebus sensibilibus exsistat, id etiam atque etiam declarat, omnibus ex se patere. « In cunctis namque oppositis transmutationibus est aliquod transmutationis subjectum : utputa, secundum locum, quod nunc hic, rursus alibi; et secundum amplificationem, quod nunc tantum, rursus minus aut majus; et secundum corruptionem, quod nunc sanum, nunc ægrum [1].» Quin imo, non semel hanc materiam substantiæ nomine vocare non dubitat. Nam, ut ipsius verba ferunt, si hæc non est substantia, quæ alia substantia sit, nescimus. Demptis etenim ceteris, nihil aliud remanere videtur. Cetera namque nihil sunt, nisi ea quæ corpora aut patiuntur aut efficiunt. Longitudo vero, latitudo et profunditas, quantitates quædam, sed non substantiæ sunt; quantitas etenim non est substantia, sed magis cui hæc ipsa insunt, hoc est substantia : sic-

[1] Μετὰ τὰ φυσ., l. VII, c. II.

que ablata longitudine, latitudine et profunditate, nihil habemus reliquum, nisi si quid est quod ab eis determinetur, ut ita considerantibus, materiam solam necesse sit apparere substantiam[1]. »

At enim Aristoteli, cui corpora nihil videntur esse, nisi ea quæ possunt cadere sub sensus, jure objicitur id quod Cartesius contra Henr. Morum eodem modo corpora definientem dicit. « Res te monet, inquit Cartesius, si dicatur substantia sensibilis, tunc definiri ab habitudine ad sensus nostros, qua ratione quædam ejus proprietas duntaxat explicatur, non integra natura, quæ, quum possit exsistere, quamvis nulli homines exsistant, certe e sensibus nostris non pendet. Nec proinde video, cur dicas esse summe necessarium, ut omnis materia sit plane insensibilis ; nam contra nulla est quæ non sit plane insensibilis, si tantum in partes nervorum nostrorum particulis multo minores, et singulas seorsim satis celeriter agitatas sit divisa[2]. »

Quod autem sapientissime respondet Morus : « Quum radix rerum omnium ac essentia, in æternas defossa lateat tenebras, rem quamlibet necessario definiri ab habitudine aliqua; quæ habitudo proprietas dici potest in substantiis, quum non sit substantia[3]... »; hoc ipsum

[1] *Ibid.*, l. VI, c. III.
[2] Cart. Epistola ad Th. Morum.
[3] Henr. Mori responsio ad Cartes.

profecto dicat Aristoteles, qui, quum in dubio poneretur, an, sicut partes corporum, ita sensus dividi valeant in infinitum, non sine causa pronuntiat, vel minimas corporum partes non re quidem vera sentiri, sed semper sentiri posse, ideoque rerum sensibilium servare naturam[1]. Idque alibi apertis verbis confirmat. « In summa, inquit, si sensibile solum est, nihil fuerit profecto, quoniam tunc animata non essent; sensus enim non esset; atque ita nec sensibilia, nec sensus esse, fortasse verum esset : sentientis enim hæc affectio est. At ipsa subjecta quæ sensum faciunt, non esse etiam absque sensu, hoc impossibile est. Sensus namque non est ipse sui ipsius, sed est aliquid aliud etiam præter sensum, quod necesse est prius sensu esse. Movens enim natura prius est motu, et si hæc ad se invicem referre dicuntur, nihilominus[2].»

[1] Περὶ αἰσθήσ., c. VI.
[2] Μετὰ τὰ φυσ., l. III, c. V.



CAPUT QUARTUM

IN QUO PECCET EADEM RATIO ?

Jam ex his quæ sunt ante disputata apparet, in summa, neminem melius vidisse de sensibus propriis, quam Aristotelem, qui nec minime horum sensuum auctoritatem imminuit, neque in errorem lapsus est, quo capti tot tantique philosophi voluere primarias esse rerum qualitates, quas prorsus introspiciamus. Sed una compertum est, eumdem nimium tribuisse iisdem sensibus, quibus partes intelligentiæ proprias dedit, quum docuerit per hos omnes inferri rerum externarum existentiam, imo communiter percipi motum, quietem, figuram et numerum. Nec tamen satis erat, ut subverteret fidem sensuum, quam contra certissimam indubitatamque fecisset, nisi temere, præter sensus proprios, novum genus sensuum admisisset. At vero professus nos sentire ea quæ non re sentimus, agnovit sensus adventitios qui, dicti per accidens, *αἰσθητὸν κατὰ συμβεβηκός*, nunc vera, nunc falsa nuntiant. « Per accidens autem sensibile

dicitur, ut si id quod video album Diaris filius sit; per accidens enim id sentio, quia albo id quod sentio accidit [1]..... » « Propria autem sensibilia sensus per accidens alter alterius sentiunt, non quatenus ipsi sunt, sed quatenus unus, quum simul in eodem sensus efficitur, seu quum sentimus bilem amaram esse ac flavam : non enim ad alterum pertinet, unum ambo hæc esse dicere; quapropter et errat quisquis bilem esse putat, si sit quidpiam flavum [2]. » Idcirco, ut proprios sensus fidos, sic adventitios parum tutos et dubios sæpius declarat. « Sensus quidem propriorum est verus... at secundo loco pertinet sensus ad ea quibus hæc accidunt, atque hic jam falli licet : nam non fallitur, eo quod album hoc est, sed num album id hoc sit, vel aliud quidquam. Tertio loco pertinet sensus ad communia, quæ consequuntur accidentia quibus sensibilia propria competunt, verbi gratia, motum et magnitudinem, quæ accidunt sensibilibus : circa quæ jam maxime error fieri per sensum potest [3]. »

Indeque varia crimina a Peripateticis omni tempore intentata in sensus, quos si minus falsos, at ambiguos esse judicant, neque ulla fide dignos, nisi ad eorum confirmandum testimonium accedat ipsius rationis auc-

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. VI.
[2] *Ibid.*, l. III, c. I.
[3] Περὶ ψυχ., l. III, c. III.

toritas. Qui quidem, dum istam vanitatem conqueruntur et arguunt, multi sunt in communibus locis : sic intervalla, aut contracta, aut diducta; tum solem, quem mathematici tot partibus confirmant esse terra majorem, quasi pedalem visum; tum ripam, quam ii qui in navi sunt, putant moveri; tum etiam duas ex una lucerna flammulas quæ nobis oculum torquentibus apparent, et remum in aquis infractum, et columbæ collum, innumeraque alia, eodem pertinentia, acervo criminum congerunt[1].

At illud, ut notat Th. Reid, jam maxime mirum, nos adeo discordantem et secum pugnantem animam a natura accepisse, ut sensuum fere proprium sit errare, rationis vero sensus errantes corrigere. Neque ita est : nam re diligentius inspecta, cuivis facile intellectu est, proprios quidem sensus minime mentiri, idque non fefellit Aristotelem, sensus autem esse nullos nisi proprios, erroresque tum ex communibus, tum ex adventitiis sensibilibus ortos, menti soli esse tribuendos.

Ego enim vero, quod modo proponebam de sensibilibus quæ Noster vocat communia, nempe de motu, quiete, figura, numero et magnitudine, hoc fere idem de sensibilibus adventitiis censendum esse puto : ea scilicet non recte dici sensibilia, nec vere sentiri, sed alio quodam modo percipi.

[1] Cic. Lucull., *passim.*

Illud enim ab ipso Aristotele conceditur, nullum esse posse sensum, nisi quid exterius adsit, quod aptas corporis nostri partes per medium impellat. Quoties vero nonnisi per accidens sentimus, admodum nihil, quod sub sensum cadat, extra est : sicque, dum favi colorem flavum percipio, ejusdem dulcedinem mihi animo fingere possum; neque ideo palatum vel minimum motum accipit, melque nihil mihi sapit; imo fieri potest, ut amarum sit id ipsum quod dulce judicatur. Eo accedit, ut quidquid vere sentitur, vel ab invitis sentiatur, neminique colorem sonumve quemlibet percipienti liceat non videre vel non audire; quum contra si quis de dulcedine favi, qui longe conspicitur, forte cogitat, is cogitationem, quam habet, retinet, ejicit aut revocat, uti libet et ubi vult, nec se rebus, sed sibi res subjungere videtur.

Hi vero adventitii sensus, qui nonnisi improprie sensuum nomen habent, intellectui-ne tribui debent? Minime, si quidem illi ad res singulares et fluxas; intellectus vero, ad id quod universum et æternum est, spectant. Sed Aristoteles ipse mediam sensum inter et intellectum censet esse vim imaginativam, cujus partes, etsi minus dilucide definiuntur, supradictos per accidens sensus mihi videntur sibi vindicare. « Quoniam certa re mota, fieri potest ut aliud moveatur ab ea, imaginatio vero motio quædam esse videtur, et non fieri sine sensu, sed sentientibus, et ad easdem res pertinere ad quas sensus, quum porro fieri potest ut motus oriatur ab ipsa

sensus actione, eumque necesse est sensui similem esse, imaginatio motio hæc erit, quæ neque sine sensu esse, neque competere non sentientibus potest [1]. »

In locum sic descriptæ imaginationis, φαντασίας, subjice sensum adventitium, αἴσθησιν κατὰ συμβεβηκός, nec minus congruentem rei definitionem invenies. Motus enim de quo hic agitur, κίνησις, quum nihid aliud sit nisi quædam corporis et animi affectio, fit in nobis utcumque per accidens sentimus; neque nobis datur aliquid sentire per accidens, nisi prius, sensu proprio præditi, id ipsum vere senserimus «οὐκ ἄνευ αἰσθήσεως γίνεσθαι, ἀλλ' αἰσθανομένοις καὶ ὧν αἴσθησίς ἐστι [2]. » Quisquis enim non jam antea favum dulcem et flavum simul oculis et gustu perceperit, quem forte postea flavum videbit, eumdem dulcem esse non sibi finget.

Si quis nunc quærat, curnam sensus adventitios, simplicissimos hos imaginationis fetus, non imaginationi Aristoteles ipse adscripserit, haud immerito judicabit, ni fallor, hoc fuisse in præcipua causa erroris Aristoteli, quod, causis rerum non ab origine repetitis, minime intellexerit quantum quamque late pateat imaginandi ratio. Ea autem ratio, quam recentiores philosophi, inter quos eminent Malebranchius, Th. Reid et Condillac, subtilius et verius explicant, omni fraude absolvit sensus.

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. III.
[2] Περὶ ψυχ., l. III, c. III, § 11.

Etenim ante omnia constat, uno eodemque tempore diversa sensuum instrumenta pluribus rebus sensibilibus moveri non posse, quin plures simul accipiamus sensus, qui, dum concurrunt in unum, animum quasi uno impulsu commovent: quæ quidem affectio nobis sensim usu fere venit in morem, ita ut postea, quum unum aut alterum ex his, quibus ea summa conflatur, sensibus forte experiemur, omnes alii, velut inter se conjuncti ultroque obvii, faciles volentesque sequantur. Si quando, exempli gratia, ex fenestris prospectans, quadrijugum currum euntem vidisti simul et audiisti, nunc junctis fenestris, eodem quadrijugarum sonitu vix audito, ipsius currus formam, citatos equos, collectumque circa pulverem videre tibi videris. Nec tamen reipsa vides, sed solummodo ea, quæ quondam vidisti, iterum animo tibi fingis; sicque ficta servas in oculis aut a mente removes. Neque aliter quum natura dederit alimentis, quibus vescimur, jucunde ingrateve sapere et olere, usu docti, quid in unoquoque salubre noxiumve futurum sit, odoratu, prius quam gustu, non quidem sentimus sed conjectura assequimur ex saporum imaginibus quas in nobis ultro informamus. Quin etiam non ipsi oculi, nisi adhibita tactus ope, quæ sit distantia veraque magnitudo figuraque rerum, per se discernere valent. Hoc enim usu cognitum habemus, infantes, ubi primum apertos oculos huc illuc volvunt, nihil percipere, nisi superficiem quamdam variis coloribus indutam; mox vero,

forte projectis manibus reque admonitos, suum cuique rei colorem tribuere, indeque dignoscere id quod vident et id quod tangunt; quumque ea, quæ subjiciuntur, quo longius, eo difficilius et obscurius apparent, experti a pueris, veram rerum magnitudinem et longinquitatem et tactilem figuram, ex prima colorum facie, melius in dies dijudicamus : imo brevi res ipsas, ut sunt et ubi sunt, oculis percipere existimamus. Sic qui cogitationes quasdam certis cum vocibus sæpius sociaverit, is simul atque eas voces iterum audiet in assuetas cogitationes ultro incurret, vixque sentiet sonos quos aures excipient. Quod idem fit dum legimus, quum neglectis quæ sunt in oculis litteris, toti sumus in sententiis, quas sine scriptura penitus introspicere nobis videmur. Eodem igitur modo sphæra, quæ forte nostros ante oculos procul obversatur, nihil aliud nobis primo aspectu præbet, quam planam circuli dimensionem, sola colorum varietate distinctam; sed nos sæpe alias experti globos sub eadem circuli specie eodemque lumine semper apparere, protinus animis substituimus veram sphæræ formam, quam quidem, uti est, reipsa videre arbitramur. Indeque fit, ut pictor, qui sphæræ imaginem summa similitudine imitatus, nos adducit, ut existimemus veram sphæram esse in tabula, aciem nostram fallere prave dicatur : non enim fallit aciem ipsam, si quidem nihil mentiuntur oculi, qui coloratam effigiem sine fraude testantur; sed tum in errorem delabimur, quum id quod venit in adspectum,

rem solidam esse, non visu, sed mente æstimamus. Quod idem fit in sole, cujus magnitudinem et distantiam conjectamus, inque ripa, quam moveri e navi perperam opinamur : ut nullus sit sensus falsus dictus, cui vis imaginativæ intellectusve partes non tribuantur; nam parum est quod sensus nuntiant, neque id tamen fictum : nisi eum qui nullo modo judicat, prave judicare posse putes.

Sic autem ab Aristotele auctam fuisse vim sensuum, multoque majora insuper eorumdem provinciæ addita fuisse præter modum, nemo erit qui miretur, qui bene noverit in quibus institutis hæc tota ratio nitatur.

Hoc nimirum fuit Aristotelicæ doctrinæ caput, uti hominibus intellectum, ita ceteris animantibus sensum esse proprium. Sed « cui sensus inest, ei voluptas etiam et dolor inest; itidemque jucundum atque molestum; quibus autem hæc insunt, ea cupiditatem etiam habent : hæc est enim jucundi appetitio. Alimenti præterea sensum habent; tactus enim sensus est alimenti[1].» Necesse igitur erat, reliquos animantes, omni alia ope destitutos, e sensibus omnia petere, quibus opus est ad tuendum corpus et ad explenda vitæ desideria; hominem vero, res quidem necessarias et universales intellectu, res autem fortuitas et singulares solo sensuum usu discernere[2]. Id vero fieri nequit, nisi qui sentit, ideo quod sentit, sui

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. III, § 2, 3.
[2] Περὶ ἐνυπνίων, l. I, c. I. — Περὶ ψυχ., l. III, c. IV.— *Ibid.*, l, III, c. XIII.

ipsius conscius sit, sentiendòque distinguat et comparet inter se varios, quos experitur, affectus, sicque valeat appetere voluptatem et fugere ea quæ nocitura videantur. Eam autem fuisse vim cognitionis et judicii sensibus ab Aristotele assignatam liquet ex ipsius scriptis.

Quod ad conscientiam animi attinet, minime quidem mirum, nonnullos fuisse, inter quos Tennemann, quibus Aristoteles videretur primus omnium attendisse mentem et acutum ingenium ad rem difficilem de qua agitur : interdum enim loquitur ea fere subtilitate, quam reperire est apud diligentissimos nostræ ætatis philosophos. Quæ anima carent, ut legitur in Physicorum libris, moventur et mutantur inscia; at ii, quibus natura sensum dedit, quidquid patiantur nescire nequeunt [1]. Et alibi : «Quisquis videt, aut audit, aut ambulat, sentit se videre, audire, ambulare aut aliter agere. Est in nobis aliquid quod sentit nos agere : possumus igitur sentire nos sentire et cogitare; quidquid autem sentit se sentire et cogitare, id exsistit, si quidem exsistit id quod sentit aut cogitat [2]. »

Etsi fieri nequit ex his verbis, ut ex toto desiderentur conscientiæ partes, easdem tamen ubi Aristoteles studet describere, decipitur discrimine rerum confuso, neque ab omni reprehensione tutus est.

« Quum autem sentiamus nos videre atque audire, ne-

[1] Φυσικ. ἀκροά., l. VII, c. II, § 4.
[2] Ἠθικῶν Νικομαχ., l. XI, c. XI.

cesse est aut visu sentiamus nos videre, aut alio sensu. At idem sensus erit et ipsius visus et coloris subjecti: quare vel duo sensus erunt ejusdem subjecti, vel seipsum sentiet ipse. Præterea si alius sit sensus qui percipit ipsum visum, aut in infinitum ibitur, aut ipse seipsum percipiet: quare id in primo sensu est faciendum [1].»

Sed quum ita docet Noster visu nos sentire visum, auditu auditum, pariterque ceteros affectus, idem mihi videtur parum perspicere, quæ sit distinctio inter videre et scire se videre, audire et scire se audire, uno verbo sentire et scire se sentire. Quæ tamen distinctio nec nulla nec minimi momenti est. Non id enim diffiteor, nullum sensum omnino incognitum neque esse neque intelligi posse, si quidem non audit, odoratur aut tangit, qui nescit se audire, odorari aut tangere; planeque assentior scholasticorum sententiæ: non sentimus, nisi sentiamus nos sentire; non sentimus nos sentire, nisi sentiamus. Sed quid refert? Multæ sunt res quæ nec dividi nec dissociari queunt, quæ tamen abstrahuntur a mente et specie differunt. Si quis igitur amat vel odit, metuit cupitve, is quidem ideo novit id quod amat vel odit, metuit vel cupit, nec tamen ideo dicas idem esse in eo scire et amare, odisse, metuere vel cupere. Ita judico cum recentioribus qui cogitaverunt de istis subtilius ac diligentius quam Aristoteles, aliud esse sentire,

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. II, § 1.

aliud percipere sensum. Quid sit enim sensus, non satis ipso sensu tenemus, nihilque sentitur, nisi adsit quoddam intelligentiæ lumen, quo ne unum quidem animalium caret.

Sin aliter, nulla mihi quidem videtur superesse via, qua coire in unum et conferri inter se valeant varii sensus, idque, etsi gravissimum in re præsenti, ante notatum fuisse credo a nullo philosophorum. Quælibet enim res cum re alia componi nequit, nisi quid unum et idem utramque simul percipere et occupare valeat.

Aristoteles autem, licet voluerit quemque sensum residere in instrumento suo, nihil habet quod in se copulet varios affectus cujusque sensus proprios et nigrum ab albo, acutum a gravi, dulce ab amaro discernere possit.

Accedit illud: si quisque sensus est quasi absolutus animus, neque alienæ opis indiget, neque aliunde pendet, tum quid rei jam sit visui cum auditu, gustu ceterisque sensibus? Et qua tandem societate vincti singuli conveniant in unum?

Id quidem difficultatis ab Aristotele nec prætermissum, nec relictum. « Quum album et dulce, et singula sensibilia ad singula comparemus, inquit, quanam re sentimus ea differre? Necesse est utique id fieri sensu, quippe quum illa sensibilia sint... fieri igitur non potest, ut separatis sensibus discernatur, dulce diversum esse ab albo, sed unicuique rei ambo patere oportet... Unum

igitur dicat oportet, ea diversa esse... res ergo individua et tempore individuo discernit[1].»

Sed quum ita profitetur et ratione manifestum facit, nullam naturam, nisi unam et simplicem, componendorum inter se sensuum partes obtinere posse, quemdam communem sensum excogitat, quem sibi subsidio comparet. Is qui sentit, ex ipsius verbis, « judicat judicareve potest, differre dulce ab albo, nec visu, nec gustu seorsim, nec simul utroque, sed particula quadam communi, quæ omnibus sensuum instrumentis adjuncta est; nam sensus unus est, et præcipuum instrumentum unum[2].»

Idem, quo melius appareat præsidis sensus simplicitas, sensum communem sic descriptum confert cum puncto, quod, quum medium sit in linea quam intercidit, per se quidem unum est, duplex tamen dici potest, quatenus dividitur inter duas lineas quarum unam finit et alteram inchoat. « Hoc perinde se habet, atque id quod quidam punctum appellant; quod, quatenus tum unum est, tum duo, hoc pacto divisibile est. Quatenus igitur indivisibile est, unum est id quod discernit ac simul discernit; quatenus vero est divisibile, bis eodem puncto

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. II, § 10, 11, 12.

[2] « Καὶ κρίνει δὴ καὶ δύναται κρίνειν, ὅτι ἕτερα τὰ γλυκέα τῶν λευκῶν, οὔτε γεύσει, οὔτ' ὄψει, οὔτ' ἀμφοῖν, ἀλλά τινι κοινῷ μορίῳ τῶν αἰσθητηρίων ἁπάντων· ἔστι μὲν γὰρ μία αἴσθησις καὶ τὸ κύριον αἰσθητήριον ἕν.» Περὶ ὕπνου, c. II.

utitur simul. Quatenus ergo tanquam duo quidem adhibet punctum, extremitate duas res discernit, atque res distinctæ ad distinctos sensus pertinent; quatenus vero tanquam unum, uno utitur atque simul [1].»

Quid vero sentiendum sit de isto communi sensu, quem a magistro acceptum, quasi hæreditarium munus, postea, per tot annos, omnes ab Aristotele profecti sibi per manus tradidere? Rem esse prorsus fictam et inanem. Is enim sensus communis, aut nullus est sensus, neque aliter exsistit, quam punctum medium quo pertinent in circulo lineæ; aut constat ex partibus summave singulorum sensuum quos complectitur, nec simplex et unum esse potest. Etenim quum album, amarum, calidum et durum, res inter se dissimillimas, simul in se habeat, qua suimet parte partes ceteras obtineat et comparet? Ut enim varii colores in tabula picta adjacent appositi, nec tamen miscentur; sic diversi sensus nequidquam sibi contingunt et conveniunt eodem; naturam quisque suam servat, nec video quid supersit commune cunctis.

Nodus enim expediri nullo modo potest, nisi appareat lux conscientiæ. Animus autem sui conscius varios affectus, quos una mentis acie assequitur, ita connectit, ut summa videatur sine partibus quibus cohæret. Sensus igitur ipse nihil secum affert, nisi materiam confusam,

[1] Περὶ ψυχ. l. III. c. II.

cui mens, dum fit conscia, unius notionis formam adhibet.

Neque is intelligitur locus medius, longe ab auribus, oculis, naribus et palato diversus, in quem undique collecti soni, colores, odores et sapores, velut facta conspiratione, congregantur inque unum confunduntur; nisi per eum locum significetur solummodo præcipua sedes et quasi domicilium animi, quo cuncta vergere putentur. Tumque sensus communis per se nihil percipiet, nec verus sensus erit, sed certa pars corporis, quæ varios motus a singulis sensuum instrumentis allatos accipiet et quasi commune instrumentum animæ præbebit.

Rem enim vero non aliter habebat Cartesius, quum sibi visus est agnovisse, non in corde, neque in toto cerebro muneribus suis fungi animum, sed in penetralibus cerebri, qua jacet glandula tenuis unice nata ad recipiendos undique convenientes motus[1].

Licet id a Cartesio ingeniosius forte quam verius disputetur, nec probentur pleraque, sed affirmentur modo, in eo saltem præstat ea, quam defendit ratio, quod ne minimum quidem in animo discidium admittat; qui scilicet, ut in medio corpore sedem unam occupat, sic uno conscientiæ intuitu diversos, quibus movetur, affectus amplectitur eademque luce collustratos percipit et cogit in unum.

[1] Tract. de affectionibus, l. I, § 31, 32.

Cujus doctrinæ egregius interpres, Bossuetius audiendus est, quum apertissimis verbis declarat intellectum nihil aliud esse, quam animum quatenus res necessarias concipit; nihil memoriam, nisi animum quatenus res præteritas tenet et repetit; nihil voluntatem, nisi animum quatenus eligit ac decernit; itemque vim imaginandi, nihil aliud esse quam animum qui res sibi figurat et fingit; visum vero, nisi animum qui videt, sicque de ceteris sensibus : ut recte intelligas singulas animi facultates in re unam eamdemque animam esse, quæ variis quidem nominibus designatur, prout variis modis agere videtur [1].

Ceterum, quod ad rem præsentem attinet, non ad Cartesium Bossuetiumque, aliosque recentioris ætatis diligentiores philosophos, sed ad solam Platonis, æqualis et magistri sui, auctoritatem Aristoteles est vocandus. Id enim a præstantissimo Socratis discipulo, passim imprimisque in eo, qui inscribitur *Theetetus*, libro, subtiliter et jure defenditur : animam scilicet oculis, auribus, naribus et palato instrui tanquam ministris; neque tamen his ipsis corporis partibus, sed earum ope sentire; eamdemque per oculos album a nigro, per aures acutum a gravi discernere; neque vero per oculos, neque per aures, sed ipsam per se sine ullo instrumento diju-

[1] Boss. Tract. de Deo et homine, c. I, § 23.

dicare in quo album et acutum, nigrum et grave inter se conveniant aut differant.

« Soc. — Nonne animus rei duritiem mollitiemve tactu sentiet?

» Theet. — Sane quidem.

» Soc. — Sed hoc molle et hoc durum quid et qualia sint, in quo et quali modo differant, ipse secum retractans et invicem utrumque conferens, animus per se discernere nititur.

» Theet. — Ita est.

» Soc. — Sic fit igitur, ut statim natis hominibus et bestiis naturalis quædam facultas inhæreat, qua sentiant affectus per corpus animæ allatos; dum contra longo post intervallo, nec non sine opera multoque labore et studio, nonnulli reputant et animadvertunt quid sint hi affectus et quid utilitatis habeant..... scientia igitur non constat ex sensibus, sed ex cogitationibus quæ ad sensus pertinent [1].»

Quæ quum legimus ea luce veritatis expressa, eo magis miramur Aristotelem nota tanti ducis vestigia sequi negantem, adeo a recta via deflexisse, ut docuerit sensum, tum quemque proprium, tum communem, cognitione, intelligentia, judicio esse præditum.

[1] Plato. Theet., passim.

CAPUT QUINTUM

AN VIM INTELLIGENDI DISTINCTAM A SENSIBUS AGNOVERIT ARISTOTELES?

Una jam nunc restat quæstio, sæpius agitata omniumque gravissima, utrum Aristoteles nullam esse voluerit ultra sensus, adeo præter modum laudatos, animi partem, an vim quamdam in mente omnia infra se habentem et ipsos sensus superantem agnoverit.

Ipse quidem ante omnia quam maxime profitetur, hominem, utpote intellectu præditum, ceteris animalibus ratione expertibus longe antecellere, intellectumque spectare ad id quod intelligi potest, ut sensus spectat ad id quod sentitur; scilicet intellectum ad res æternas et necessarias, sensum vero ad res fortuitas et singulares. Quæ quum audis, Platonem ipsum loquentem audire tibi forte videris. Sed idem rursus in iisdem libris passim

docet, sine sensu nihil admodum intelligi posse, imo ex sensu oriri scientiæ principia [1].

Hæc verumtamen inter se verbis, potius quam re discrepant, quique, usque a principiis repetens, rem propositam penitus perspiciet, Aristotelem obscurius dixisse, at saltem sibi constitisse judicabit.

Quum autem scientiam omnem scientiæque principia pendere ab universali Noster velit, ut supra dictum est, hoc unum jam venit in discrimen, utrum ab intellectu, an a solo sensu ipsum universale censeat obtineri.

Hoc quidem universale neque in mente insitum et consignatum a pueris attulimus, quasi animus, antequam in corpus intraret, in rerum cognitione viguerit; neque agnoscimus reminiscendo, tanquam nihil aliud sit discere, nisi recordari; atque ita Platonis somnia rejicit Aristoteles.

Nec magis idem, quod non ita anticipatum accepimus, nobis licet per demonstrationem inferre; nam ipsa demonstratio sine universali fieri nequit, dumque universale persequemur argumentis, usque ad infinitum eodem devolvemur.

Neque tamen illud universale ultro informamus, nisi quædam adsit animo antecapta cognitio; quæ quidem cognitio e sensu venit.

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. vi. — *Ibid.*, l. III, c. vii. — *Ibid.*, l. III, c. viii. — Ἀναλυτ. δεύτερ., l. I, c. xviii; l. II, c. i.

Etenim si forte mihi occurrant et hoc et illud et cetera multa, quibus non eadem natura, sed tamen quædam communia sunt, quoties de hoc cogito, utique de illo deque ceteris similibus quodammodo cogito, ea nimirum parte, qua singula eamdem formam præbent nec labuntur et pereunt, sed durant et permanent, fitque in mente mea una omnium species. Nimirum ut in pugna, acie in fugam jam conversa, uno stante alius stat miles, iterum alius, donec suboriatur restitutus exercitus; sic ea est animi natura, ut hoc ipsum pati possit: consistente enim uno ex individuis, primum quidem fit in anima universale; nam sentitur quidem aliquid singulare; sensus vero spectat ad id quatenus universale, nempe, verbi gratia, hominem, non vero Calliam hominem. Mensque rursus, ubi plura universalia in se habet, in his consistit, donec ea in unum et idem collecta concipiat, atque ita inducendo magis ac magis ascendat per universalium gradus [1].

At in mente quæ ita erigitur et consurgit ad universale, quas tandem partes habeat intellectus? Mihi quidem, nisi falsa opiner in re quæ nonnihil dubitationis habet, supradictam doctrinam perperam interpretari videntur ii qui, ex allatis verbis, conjiciunt, Aristotelem voluisse sensum, adjuvante memoria, per se satis posse ad informandum universale. Etenim, quum Socratem, Alci-

[1] Ἀναλυτ. δεύτ., l. II, c. XIX.

biadem, Cleonem nonnullosque alios videris, profecto non satis erit postea fidelem uniuscujusque horum imaginum recordationem a te diverse singulatimque repeti, ut aliquid universale assequaris. Quod si velis easdem imagines non ex toto proprieque, sed per partes communes, quasi deficiente memoria, in te renovari, ita ut, omni rerum discrimine remoto, ex singulis diversisque imaginibus una fiat imago vaga et infinita, nego etiam tum hanc imaginem idem esse atque universale de quo quæritur. Quo enim pacto intelligere queas, in quo ea, quam dicis universam, imago conveniat cum singulis quibus constat, aut in quo ab eisdem differat? Quod quidem quum ne minime quidem per sensum et memoriam, omni rationis ope destitutus dicere valeas, prædictam imaginem tanquam unius rei peculiarem imaginem habebis, nedum eamdem generaliter definias et quasi communem notam singulis ejusdem generis rebus tribuas. Neque enim mens ad universale fertur, nisi vi quadam propria cogitationem intendat in varias, quas memoria præbet, species ex quibus, neglectis quidem differentiis, id solum colligat quod videatur sibi constans, unum et commune.

Sic autem Aristoteli visum fuisse, non modo conjectura assequor, sed reperio non semel ab ipso confirmatum. « Quum hoc habeant in se naturale omnes animantes, ut sentiant ; ii soli in quibus permanet sensus semel perceptus, aliquid præter sensum cognoscere va-

lent; nec tamen singuli animantium memoria prædîti usque ad universale ascendunt, sed ii solum quibus inest ratio[1].»

Quum igitur Noster asseverat universale ab experientia proficisci, absit ut existimemus in ipsa experientia satis esse præsidii ad intelligendum: id unum significat, hominem nihil intelligere posse, quin prius res singulares sensu perceptas et usu cognitas habeat. Ea enim quæ intelligi possunt, non in se, sed in rebus singulis existunt; neque est aliquid quod dicatur homo, extra privatos homines, aut verum, bonum, pulchrum, absque rebus bonis, veris, pulchris; sicque res singulæ sentiantur necesse est, antequam intelligantur ea quæ his omnibus in universum conveniunt; neque immerito Aristoteles asseruisse videtur, scientiam quamlibet in uno sensuum poni, sensuque sublato, scientiam pariter tolli[2].

Sed si, temporis respectu, intelligere nequit homo, nisi prius senserit, neque re intelligit, nisi jam ante habeat actum in potentia, non ita fit de omni genere animantium: sunt enim universa quæ fiunt, ex eo quod actu est, « ἔστι γὰρ ἐξ ἐντελεχείᾳ ὄντος πάντα τὰ γινόμενα[3].» Id autem quod est actu intelligens, non is est qui nunc

[1] Ἀναλυτ. δεύτ., l. II, c. XIX.
[2] Ἀναλυτ. δεύτ., l. I, c. XVIII.
[3] Περὶ ψυχ., l. III, c. VII, § 1.

intelligat, nunc non intelligat, sed semper idem et æternum est, nimirum intellectus ab omni concretione materiæ separatus, nihilque patiens, quum in actu sit substantia sua[1].

Quam vero rationem ars habet ad materiam, nempe forma quam sibi proponit figulus ad argillam, eamdem habet is intellectus qui semper est in actu, ad intellectum qui est in potentia[2]. Hic enim omnia fit; ille autem, tanquam causa efficiens, omnia facit, ut lumen coloresque qui sunt in potentia, actu colores quodammodo facit, « *καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς· τρόπον γάρ τινα καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα*[3]. »

Humanus igitur intellectus, qui perire potest, *φθαρτός*, nihil vere intelligit, nisi accipiat lumen ab intellectu immortali, cujus in partem venire videtur, « *μετέχει τοῦ θείου*[4] », quoties agit. Ipse autem, antequam agat, nihil est, nec secus se habet, ac tabula cui nihil esset inscriptum, « *ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν, πρὶν ἂν νοῇ· δεῖ δ' οὕτως ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηθὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον*[5]. »

[1] « Καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀπαθὴς καὶ ἀμιγὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ.... ἀλλ' οὐχ ὁτὲ μὲν νοεῖ, ὁτὲ δ' οὐ νοεῖ... » Περὶ ψυχ., l. III, c. v, § 1, 2.

[2] Περὶ ψυχ., l. III, c. v. § 1.

[3] *Ibid.*

[4] Περὶ Ζῴων μορίων, l. II, c. x.

[5] Περὶ ψυχ., l. III, c. iv, § 11.

Neque corpori admiscetur, ipsius enim lumini officerent ea quibus constaret elementa; sed dici potest locus in quo non sunt, sed esse possunt formæ, δυνάμει τὰ εἴδη.

Quum autem agit, fit quidquid intelligitur, necdum etiamtum desinit esse quodammodo potentia, sed non perinde ut erat, namque jam se ipsum intelligere potest, « καὶ αὐτὸς δὲ αὐτὸν τότε δύναται νοεῖν [1]. »

Quæ quum ita maxima fiducia docet, Aristotelem quidem non æstimo ex omni parte probandum. Adeo enim intellectum divinum in nobis valere prædicat, ut ex eodem, tanquam e sole, mens humana lucem veritatis repercussu quodam accipere videatur. Ego vero fateor neutiquam suspicari, quo pacto Deus intellectum suum cum homine communicare valeat: etenim etsi est eadem res quæ intelligitur ab utroque, uterque tamen intelligit, neque unus et idem est intellectus, nisi unus et idem sint Deus et homo. Neque eo infitias intellectum nostrum agere non posse, nisi in eo sit satis causæ ad agendum. Sed quid est, quod nihil intelligamus, nisi afflante divino spiritu? Imo vero in unoquoque nostrum, utpote ratione prædito, insidet vis intima et nata nobiscum, qua efficiente supra sensus eminemus et id quod est necessarium et æternum adipiscimur. Ea quidem vis intelligendi, ut sentiendi vis, ipsa manat ex communi omnium fonte, qui numinis supremi nomine gaudet;

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. IV, § 6.

sed non ideo magis in nobis intelligit, quam sentit Deus.

Nec minus insuper idem culpandus est, in eo quod sublatum velit omne discrimen inter id quod intelligit et id quod intelligitur. Ut enim modo dicebat idem esse sentire ac percipere sensum, ita nunc sæpius prædicat eum qui intelligit seipsum intelligere nec minime differre rem cognitam ab eo qui rem cognoscit, « αὐτὸ ἑαυτὸ γινώσκει[1] », « ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ καὶ τὸ οὕτως ἐπιστητὸν τὸ αὐτό ἐστιν[2] ». Neque in hoc labitur, quod res duo sejunctas et seorsim sepositas in actu intelligendi admittere nolit : res enim quæ intelligitur, non intelligitur extra mentem, neque eo modo separata videtur ab eo qui intelligit, quo lapis hic ab illo lapide separatur ; sicque jure datur Aristoteli, quidquid sentitur et intelligitur inesse in eo qui sentit et intelligit. Sed id quod intelligitur, etiamsi non re dissociemus, mente tamen abstrahimus ab eo qui intelligit, neque e rebus ea diversitate distinctis, unum et idem, nisi nomine tantum, efficitur.

Quin imo non hic stetit finis errorum ; quumque ad similitudinem intellectus humani quem ita ignorat, intellectum divinum effingere nititur Aristoteles, eadem ratione decipitur, deique naturam adducit in grave discrimen. Ponit enim dei nomen in principio quo cuncta

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. v, § 6.
[2] *Ibid.*, l. III, c. IV, § 12.

moventur; dumque perhibet id principium summum bonum ad quod universa spectant, idem addit esse intelligibile unaque intelligens, « τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον[1] », neque in eo distingui id quod cogitat ab eo quod cogitatur, « οὐχ ἑτέρου οὖν ὄντος τοῦ νοουμένου καὶ τοῦ νοῦ, ὅσα μὴ ὕλην ἔχει, τὸ αὐτὸ ἔσται, καὶ ἡ νόησις τῷ νοουμένῳ μία[2] ». Sed hoc unum sic fictum frustra propriis insignibus auget et prædicat natura perfectum, æterna vita fruens, ab omni parte beatum, « φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῷον ἀΐδιον ἄριστον, ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ· τοῦτο γὰρ ὁ θεός[3] ». Hæc omnia de nihilo dici mihi videntur: hoc enim unum nihil est; neque veram dei cogitationem reperire est in illa cogitationis cogitatione, « ἡ νόησις νοήσεως νόησις[4] », quæ per se non exsistit, sed solum in eo est qui reipsa exsistit et cogitationem habet cujus ipse sibi conscius est.

At si Aristoteles longe a veritatis via vagatur vixque intelligitur, quum sic vanam simplicitatem nimia subtilitate persequitur, id saltem constat quod maxime confirmandum mihi proponebam, neminem intellectum a sensu melius distinxisse. Sensum quidem et intellectum

[1] Περὶ ψυχ., l. III, c. IV, § 12.

[2] Τῶν μετὰ τὰ φυσ., l. XI, c. IX, § 5. — *Ibid.*, c. VII, § 6. « Αὐτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ· νοητὸς γὰρ γίγνεται θιγγάνων καὶ νοῶν, ὥστε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν »

[3] Τῶν μετὰ τὰ φυσ., l. XI, c. VII, § 8.

[4] *Ibid.*, c. IX, § 3.

ita inter se nexos et jugatos judicat, ut nullus esse valeat sine sensu intellectus. Intellectum autem censet adeo a sensu differre, ut ex intellectu solo tota scientia pendeat; nititur enim scientia in rationibus; rationes vero in universali: hoc autem universale non obtinet sensus, sed intellectus. Ex quo facile colligitur, sensum nihil nisi singulare, fortuitum, mutabile et concretum; intellectum contra, nihil nisi necessarium, æternum, simplex et individuum percipere posse.

Quin etiam in eo præstat et eminet supra sensum intellectus, quod sensus non est sine corpore, a quo sejungi valet intellectus. Is enim minime corpori admiscetur, neque utitur instrumentis, nec patitur calidum aut frigus [1]. Inde fit, ut nihil sentiatur, si quid sensuum instrumenta vehementius moverit; sic fragore obtunduntur aures, et nimio colorum splendore perstringuntur caliganturque oculi; dum intellectus, postquam aliquid valde intelligibile assecutus fuit, non minus, sed magis minora percipit [2].

Hoc etiam inde sequitur, sensum nullum esse, nisi adsit eodem tempore res quæ sensui subjiciatur: ea enim quæ actu sensum efficiunt, extra sunt, ipsum scilicet visibile et audibile ceteraque sensibilia, et una

[1] «Τὸ μὲν αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ χωριστός.» Περὶ ψυχ., l. III, c. IV, § 5.

[2] Περὶ ψυχ., l. III, c. IV, § 5.

cum sensu apparent et intercidunt. Intellectus contra ipse sibi sufficit ad agendum : pertinet enim ad universalia; hæc autem in ipsa anima quodam modo sunt. Quapropter intelligere quidem, quum quisquam voluerit, penes ipsum est : sentire autem non penes ipsum; necesse est enim sensibile adesse[1].

Sensus denique ita pendet ex corpore, ut nequeat ab eo dividi et simul cum eo pereat. Intellectus autem videtur esse novum quoddam animæ genus per se exsistens, nec corrumpi posse. Quoties enim corpus aggravatur ebrietate, cedit impetui cupiditatum, morbo vel senio laborat, languescit quidem intellectus; sed toties omnis labes e corpore venit; nec quidquam patitur ipse. Nihil igitur obstat, quin a corpore separetur, propterea quod corporis nullius actus sit[2]; idemque separatum tantummodo id est quod est, idque solum est immortale et æternum, « χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον[3].» Idcirco non jam mirandum erit, si in libris qui ad mores pertinent[4], Aristoteles summopere præcipiat, ne consilium sequamur eorum qui jubent, nos, utpote homines, homini convenientes animos sumere, neque, mortales, conditionem immortalium

[1] Περὶ ψυχ., l. II, c. v, § 6.
[2] *Ibid.*, l. II, c. I, § 12.
[3] Περὶ ψυχ., l. III, c. v, § 2.
[4] Ἠθικῶν Νικομαχ., l. X, c. VII.

postulare; quum contra deceat quam maxime niti, ut ævum sempiternum digni simus qui consequamur, et ad id quod in nobis excellentissimum est, consilium vivendi conferamus: hoc enim a mente divina decerptum, etsi angusto circumscribitur, omnia tamen vi et dignitate supereminet.

Clausula totius operis.

Decurso quem mihi proposueram rerum quærendarum ordine, reliquum est ut summam breviter contraham et clausulam imponam disputationi.

Quænam via homini detur, ut mente capiat, quæ sint et quales res dictæ corporeæ? Hoc erat caput quæstionis positæ, de qua philosophi ita dissensisse videntur, ut vix numerentur diversæ rationes, quas omni tempore circa sensus instituere. Docuit enim Democritus continuo emergere e corporibus simulacra, quæ similem rerum formam menti per singula sensuum instrumenta afferant. Stoici vero et Academici pariter cum Democrito voluere, corpora solida elabi e rebus et in anima corporea imprimi, nec tamen magis inter se quam cum Democrito consentiunt de sensuum fide, quos alii certos, alii esse falsos dubiosve tenent. Placuit autem Averroi

et plerisque Scholasticorum ab Averroe profectis, non ipsas res ad animam accedere, sed effigies quas corporeas profitentur intra primum iter, et sensim extenuari fingunt, ut demum, omni materia deposita, animis inscribantur. Neque aliter Cartesius, Lockius, Th. Reid, et major pars recentiorum, dum qualitates quas vocant secundarias, imaginibus ullis imprimi posse negant, defendunt contra qualitates primarias fideliter in animis effingi, et magnitudinem, soliditatem, figuram, numerum in corporibus esse quasi exemplaria vera, quorum species, quas in mente habemus, perfectam similitudinem gerunt.

Hos omnes philosophos constat ad imagines ita rebus et animis cognatas confugisse, ut sibi viam munirent ad ea quæ extra sunt, eo quod ante omnia pro certo posuerint, nonnisi similia a similibus percipi posse. Longe autem alia est Aristotelis sententia, qui judicat animos a corporibus natura penitus differre, neque eos esse qui rerum externarum species in re suscipere valeant.

Sensus enim, ut ei videtur, ex corpore simul et animo pendet, inque duplici natura consistit.

Quod ad corpus attinet, ubi sentitur aliquid, simile rei subjectæ fit sensus instrumentum, quum ejusdem rei formam accipiat et faciat suam. Ea enim forma nihil est, nisi motus qui ex re sensibili veniens per aptum medium instrumentis affertur.

Ea de re quidem omnes fere ad unum præsentis

temporis physici idem sentiunt atque Aristoteles. Ipsi enim non modo prædicant, sed re solerter probant, omne genus qualitatum in corporibus ad motus diversissimos referri, præterque affectus animi sentientis, nihil esse sonos, colores, odores, calidum et sapidum, nisi rerum extra positarum aut instrumentorum vibrantium impulsus; ita ut, sublatis iis quibus natura sensum dedit, nihil jam supersit in natura rerum, nisi motus varii.

Hos autem motus ipsos jure pronuntiat Aristoteles nobis innotescere non posse, quin aptos experiamur affectus : qui quidem nullam similitudinem motuum per se præbent, nec tamen esse possunt, nisi data motuum occasione; imo mutatis motibus mutantur et intercidentibus intercidunt. Ita demum judicamus, quoties sentimus, affectui, cujus sumus consoii, motum quemdam respondere, neque motum esse sine eo quod movetur, remque extra exsistere. Nec solummodo eo ipso tempore quo vere percipimus, compertum habemus quædam corpora reipsa sensibus subjici, sed adhuc, sensibus iisdem præclusis et silentibus, pro non dubio sumimus eadem extrinsecus esse et posse percipi. Quin etiam, quum affectus alios ex aliis oriri, alternare vices ordinemque eumdem servare longo usu sumus experti, omni fide nobis inferre licet, rerum naturam conditionibus suis adstringi quæque jam evenere eventura iterum, neque ex nobis ea quæ sunt, sed potius e rebus nos pendere.

Sic tandem apparet quid sibi voluerit auctor noster, quum verbis minus apertis, sed non sine mira ingenii subtilitate, profitetur animam esse quodammodo res singulas, fierique id quod sentitur, quatenus sentit; id vero quod intelligitur, quatenus intelligit. Non quod, natura mutata, in res ipsas anima convertatur, sintque res et anima unum et idem; sed quum agunt et vere cadunt sub sensus res quæ sunt, ipsa ad actum adducitur, et affectuum, quos patitur, ope, motus exteros percipit et notat, sicque rebus congruit et respondet. Ea autem quæ intelliguntur quæque mente assequimur in rerum sensibilium imaginibus quas memoria tenemus, quodammodo dici possunt inhærere rebus quæ materiam habent; his enim sublatis, ipsa fieri omnino nequeunt; nec tamen vere sunt in actu, nisi in anima quæ intelligit.

Compertum est igitur animam a rebus distinctam et sepositam videri Aristoteli, non minus ac Berkeleio, Davidi Hume ipsique Kantio; nec minime tamen eumdem imminuisse sensuum propriorum auctoritatem, quam isti omni ope enisi sunt infringere. Id autem quantæ sit laudi principi philosophorum nemo non videt qui rationem habet quum temporum, tum rerum de quibus agitur.

Sed ratio quam de sensibus Aristoteles ea prudentia instituit, quæque veritati maxima ex parte convenit,

non ita se habet ut perfecta sit et omnibus suis numeris expleta, ipsaque peccat in multis.

Si quis autem requirat ex quo fonte cadant errores in quos videtur incidisse , hanc unam cito reperiet causam vitii fuisse, quod posuerit a principio et indubitatum habuerit, sensum esse nonnullam cognoscendi facultatem. Constat enim sensus nihil esse nisi affectus varios, quibus commotus animus expergiscitur e somno, ut ita dicam, et ex se cietur ad percipiendum. Aristoteles autem, dum sensum omnino simplicem putat, nec satis videt in eo qui sentit aliud esse pati , aliud cognoscere, eo perducitur, ut defendat nos posse solo sensu quum corporum exsistentiam inferre , tum figuram, magnitudinem, numerum motumque rerum æstimare ; imo nonnihil derogat ex fide sensuum in quos ficta confert imaginationis commenta. Neque eidem conscientiam neganti ulla via restat, qua sensus varii coeant in unum et conferantur inter se: is enim quem sibi fingit sensus communis, nihil esse potest, nisi certa pars corporis, quæ sedem præcipuam et commune instrumentum animæ præbeat.

Ea autem vis sensuum , quam sic nimiam facit, idem non ita auget, ut omnes partes intellectus proprias suscipiant sensus. Necesse est enim, ut ipse judicat, sensus esse in quibus nitatur intellectus, sed ita ut nihil secum afferant, nisi materiam cui intellectus formam adhibeat; tantumque abest, ut velit in sensu satis esse ad intelli-

gendum, ut contra docuerit, intellectum humanum ex se parum aptum esse ad tantum opus, haustusque suos divinitus repetere. Idem igitur, vel quum sensus in majus extollit, jus tamen rationis proprium defendere videtur.



Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII.
Kal. Junii, anno MDCCCLXVI.
Facultatis litterarum in Academia decanus.
PATIN.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
A. MOURIER.

INDEX RERUM

PROOEMIUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

